DE

DUALI NUMERO

IN

DIALECTIS AEOLICIS ET DORICIS

QUAE DICUNTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

PAULUS DOERWALD,

FRIEDLANDIENSIS.

ROSTOCHII.

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXXI.

AUGUSTO DUEHR

PIETATIS CAUSA

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

OFFERT

P. D.

In eo quaestionum grammaticarum numero, quae perscrutanti mirum quantum fructum comparent, quippe quae quamquam non sint positae in accuratissima linguae fundamentorum investigatione, tamen intimarum ejus conditionum praeclaram praebeant cognitionem, inesse quaestionem de numero duali, Gu. de Humboldt commentatione elegantissima ,Ueber den Gebrauch des Duals, Berlin 1828' exponit. In quo libello vir illustrissimus fusius explanat de duali, qualis sit natura indolesque, quibusnam de causis sit procreatus ingenio humano, quae vis insit quidque valeat ad orationem et augendam et ornandam. Demonstrat enim eum esse numerum non temere lingua expressum, sed quadam necessitate. Neque hic numerus exortus est, quod a singulari, si ad ipsum numerum respexeris, proximus est, sed ejus notio est plane singularis et ea quidem composita e duobus membris artissime inter se cohaerentibus, et ut ipsius Humboldtii verbis utar, ,ein Collectivsingularis der Zahl zwei'. Et profecto, magnum quoddam hoc est linguae emolumentum, quod illa notio, quamvis ab origine effluens ex sensuum cognitione, in interiore tamen et acri ingenii acumine posita, propria forma potest sermoni inseri. Etenim cum non solum ea, quae manifesto oculis conspiciuntur, ut corporis humani membra quae exstant bina, sed etiam quae vinculis conjuncta sunt non ita perspicuis, ut parentium, fratrum, filiarum paria, et sic porro bini ii, qui vitae conditione usuque comparantur, duali numero ita comprehendantur, ut quasi una appareat notio, intelligi potest per-

magno officio fungi hanc formam. Atque saepissime fit, ut duali videantur expressa esse temere duo, attamen si interius scrutatus eris, reperies vinculum interesse inter utramque rem: quod significatur duali. Et quantum valet hic numerus ad augendam orationem! Namque non solum brevitatem et subtilitatem sermonis adjuvat, sed etiam inest vis depingendi res ante oculos. Pertinet igitur ad artem plasticam. Quae cum maxime sit propria poëtarum epicorum, statuendum arbitramur, in epicis poëmatis praecipue inveniri dualem. Atque poni solet ex ipsa poëtarum licentia, qui quo sunt propensiores ad exprimendas res fere sic, ut re vera oculis conspiciuntur, et depingendas, eo crebrius hunc numerum usurpant. — De vi quae insit duali, haec hactenus.

Jam satis constat prae caeteris dialectis Graecis Atticam, ut ceteroquin ab omni parte praebeat linguam expolitissimam et quae omnium temporum hominibus summae potuerit esse admirationi, hunc quoque numerum longe praeclarissime percepisse et in plurimas linguae partes propagavisse. Atque recentiores linguarum investigatores luculenter ostenderunt Atticam dialectum hausisse dualem jam ex iis temporibus, cum gentes Graecae inter reliquos populos stirpis Indogermanicae habitarent. Ex quo sequitur, ut ceterae quoque gentes Graecae hunc numerum olim usurpaverint, licet mox hunc tantum linguae quasi thesaurum perdiderint. Res enim haec est. Quamquam a grammaticis Graecis traditur dialectum Aeolicam duali prorsus caruisse, tamen necesse est statuamus pristinis temporibus etiam hanc gentem illum numerum adhibuisse, posterioribus, jam ipsa illa aetate, ex qua literarum vestigia quae supersunt, deriventur, eos ignaros, quantum valeret ad ornandam orationem, abjecisse. Neque id mirari possumus, quia Aeoles, cum olim summis virtutibus floruerint, ante ipsam nostram memoriam delapsi et depravati sunt. Fere idem de Dorum usu dualis videtur constare.

Neque tamen in solis his dialectis abolitae sunt formae duales, sed totius Graecitatis enarratio temporum decursu paullatim interiisse dualem firmiter testatur. Itaque formae duales, quae omnino exstitisse videntur in lingua Graeca,

haud cunctum priscorum temporum usum perhibent: ut deest in nominum declinatione casus genetivus, cujus vice fungitur dativus in —οιν (i. e. ο-ιν, οφιν), in verborum conjugatione prima persona activi, quae utique plurali exprimitur. Num vero lingua Graeca propriam formam dualem conformaverit terminationem μεθον, quae legitur et apud Homerum et apud Atticos, viri docti non jam consentiunt. Nam cum G. Curtius, Gr. Verb. I, 72 sq. hanc sententiam sua augeat auctoritate, A. Nauck, ‚Bulletin de l'Académie de St. Pétersbourg', T. XXIV, pag. 362 cum Elmsleyo (ad Med. 728) mavult grammaticorum errorem cognoscere et corrigere in μεθα. Atque cum respiciamus Homericorum carminum consuetudinem dicendi, quippe quae vetustissima Graecitatis sint monumenta, licet sermo sit valde permixtus neque aut unius aetatis aut unius dialecti: jam magna ex parte hujus numeri vis imminuta est et usus. Et scripsit diligenter ‚de vi usuque Dualis apud Homerum' G. Blackert, Lips. 1841, multaque addidit A. Bieber, ‚de Duali Numero apud Epicos, Lyricos, Atticos', Jen. 1864. Jam exstincta est genetivi (eademque dativi) forma vocis δύο, δυοῖν, cujus loco Homerus aut δοιῶν aut δύο indecl. utitur; eadem ratione ἄμφω fungitur pro dativo. Prorsus deest term. αιν. —οιν quoque in tertia quae dicitur declinatione rarescere coepit. In conjugatione term. tertiae personae temporum historicorum in —έτην formae secundae personae cedere saepe coacta est. De qua re primus recte judicavit F. V. Fritzsche, Vir Illustr., in ‚Ind. lect. Rostoch. a. 1838', cf. praeterea G. Curtius l. l. et A. Nauck, ‚Bull. de l'Académie de St. Pétersbourg', T. IV, pag. 12 sq. Ceterum apud Atticos contrario modo praelata est term. —έτην etiam in secunda persona. [1]) Posteriores epicos maxime Homeri exemplar sequi solere Bieber l. l. fusius de singulis ex-

[1]) Brevi complectamur J. Wackernagelii sententiam, qui in l. ‚Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung', XXVII, pag. 302 sq. contendit formam Αἴαντε esse unum saltem vestigium illius vetustissimi dualis usus, quo adhaereat terminatio dualis e binis singulis, cum binos significet, ut Αἴαντε non sint Aiaces Telamonius et Locrensis, sed Aiax Telam. et frater Teucer. Quae profert, rem non prorsus comprobant.

planat. In dialecto Ionica mox periisse videtur numerus dualis: ut Herodotus nullum ejus vestigium praebet; nam I, 11 ὁδοῖν certissime mutandum est in ὁδῶν.[1])

Atticae dialecti usus dualis quamvis egregie valuerit, tamen etiam in hoc nonnulla jam fuerunt inusitata. Itaque in Atthide articuli forma τά non legitur, quamquam ταῖν non solum utique retinendum, sed etiam in iis locis, ubi τοῖν traditur, recipiendum est, cf. Bieber l. l. pag. 12. Sed adjectivorum, pronominum, participiorum triplici generi communes formas, ut τώ, ὥ, αὐτώ, τούτω, ἀλλήλω cet. restitui jubet Cobet, Var. lect. pag. 69 sq. et pag. 360. Quae sententia de participiis sine dubio recte se habet, cf. Graux, ‚Revue de philologie', Tome I pag. 262 sq. contra Wecklein, Curae epigraphicae, pag. 13 sq., et de adjectivis pronominibusque non invalida esse videtur, cf. Bieber l. l. pag. 13. — At jam fere ab anno CCCXC° a. Ch. n. Attici sermonis dualis usus imminui et quasi delabi coepit, id quod acute demonstrat A. Roeper ‚De Dualis usu Platonico', a. 1878, de Platonis dialogis: cujus quidem Cratylus et Reipublicae l. I dualis formis paene prorsus careant. Et deinceps e lingua Graeca omnino evanuit hic numerus. Itaque mirari non possumus, quod in Novo Testamento ne una quidem reperitur forma dualis, cf. Winer, ‚Grammatik cet.', pag. 150. Ceterum fere eadem conditio dialectorum est Italicarum, cf. Aufrecht-Kirchhoff, Die Umbrischen Sprachdenkmäler, I, pag. 131: ‚Das Zahlwort zwei (i. e. in dial. Umbr.) hat durchgängig plurale Flexion angenommen'.

Quae cum ita sint, nobis proposuimus quaerere de dialectis Aeolica et Dorica. Fontibus enim fere cunctis dialectorum et Aeolicae et Doricae accurate perspectis periculum faciemus certi de hac quaestione judicii, quae sit dualis apud Aeoles et Dores conditio, i. e. quaenam formarum vestigia omnino inveniantur et quatenus viguerit hic numerus apud illos. Nec minus nobis in animo est tractare eas quo-

---

[1]) Ut primus vidit Hirzel, ‚Zur Beurtheilung des äolischen Dialects, Leipzig 1862'.

que dialectos, quas, cum sint necessitudine utrique harum conjunctae, tamen, quamdiu nondum testimonia satis certa dialectorum conditiones explanant,[1]) segregare necesse est: Boeoticam, Thessalicam, Arcadicam, Eleam, inter quas sola de Boeotica plura proferemus; ceterarum reliquiae fere nihil faciunt ad nostram quaestionem.

Et instituemus rem ita, ut prima dissertationis parte dicamus de dialecto Aeolica, hancque sequatur de dialecto Dorica commentatio, denique de dialectis caeteris, quae quasi medium inter illas obtinent locum. Omnia autem quaecunque nobis comparare potuimus monumenta perlustrabimus ita, ut literis anteponamus titulos, et ipsarum literarum unumquodque dicendi genus singillatim intueamur. Constat enim alia literarum genera alias observare leges, quae quidem non semper eaedem sint ac sermonis usitati aut dialecti certae cujusdam. Sed unicuique quoque poëtae operam dare necesse erit: quam ob caussam non utique excludentur reliquae dialecti, sed qui poëta pluribus dialectis usus est, ejus opera omnia adhibebimus, ut verum de usu dualis feramus judicium.

Tamen necessarium videtur hunc ordinem aliquatenus negligere. Nam cum ejus vocis, quae per omnia tempora, cum reliqua dualis vestigia jam dudum evanuissent, retinuerit formam dualem, vocis numeralis δύο usum casusque qui fuerint in iis dialectis, de quibus agimus, per se exponere probabile videatur, quaestionem peculiarem de voce δύο adiciemus huic disputationi. Idem placet de vocabulo ἄμφω.

---

1) Cf. Schrader, Quaest. dial. in G. Curtius, ‚Studien'. X, 263 sq.

I.

De dialecto Aeolica.

Praemoneo nomine dialecti Aeolicae a me comprehendi dialectum Lesbiacam et coloniarum Asiae minoris quae huic proxime sint conjunctae.

Aeoles duali numero omnino caruisse complures grammatici Graeci confirmant, e quibus audiamus Choeroboscum, qui in Bekk. Anecd. Gr. 1184: ὅτι, inquit, ὑστερογενῆ εἰσι τὰ δυϊκὰ δῆλον ἀφ᾽ ὧν οὐ πᾶσαι αἱ διάλεκτοι ἔχουσι δυϊκά· ἰδοὺ γὰρ οἱ Αἰολεῖς οὐκ ἔχουσι δυϊκά, ὅθεν οὐδὲ οἱ Ῥωμαῖοι ἄποικοι ὄντες τῶν Αἰολέων κέχρηνται τῷ δυϊκῷ ἀριθμῷ. Quod hic grammaticus profert inventum dualem esse posterioribus temporibus, quam quibus sint composita carmina Aeolica, jam supra refutatum est.

Idem est judicium ejus, cui in hujus modi quaestionibus summa auctoritas abrogari non potest, Ahrensii, cujus verba in libro ‚de dialecto Aeolica‘ pag. 108 haec sunt: ‚Praemonendum est, Aeoles dualem numerum ignorasse neque ullum ejus in declinatione et conjugatione exemplum reperiri, nisi quod Homericum ἄητον cum ποίητον collatum aeolicum vocatur in Etym. M. 23, 12, cui testimonio non multum fidei habemus.‘ Licet ἄητον ponas Aeolicum necne, tamen videtur in Homeri carminibus vestigium inesse dualis Aeolici. Namque saepissime legitur forma ὄσσε, eaque hujus vocabuli sola, cum reliqui casus desint. Atque haec, si rationem Et. M. sequimur, Aeolensis est ducenda. Afferam ipsius Et. M. verba: Ὄσσε σημαίνει τοὺς ὀφθαλμούς, παρὰ τὸ ὄπτω τὸ βλέπω, Αἰολικῶς ὄσσω, ὡς κόπτω κόσσω cet. Recte mihi quidem Blackert l. l. pag. 1

judicare videtur hanc formam ὄσσε, quae jam plane riguerit,[1]) quasi naufragium dualis numeri Aeolici ex antiquis temporibus conservatam esse.

Sed nunc videamus fontes, e quibus nostro jure certi aliquid de hac quaestione possimus haurire.

Tituli exstant in Corp. Inscr. Graec., ed. Boeckh, I, 2165 sq., 3524 sq., 3640, apud Conze, Reisen auf der Insel Lesbos, Hannov. 1865, Sauppe, de duabus inscription. Lesb., Ind. lect. Gotting. 1870, Kaibel, Cyriaci inscr. Lesb. sylloge ined., in ‚Ephem. epigr.' II, pag. 2 sq., Kenner, Inschrift von Erythrae in ‚Sitzungsberichte der Kaiserl. Akademie zu Wien', Vol. 71, pag. 335 sq., Blass, Inscr. Mytil. in ‚Hermes', XIII, pag. 382 sq. (cf. Clemm, ‚Rhein. Mus.' XXXIII, pag. 608 sq.) [2])

In titulis Aeolicis dualis vestigium inest nullum. Quod nullo modo mirum est, quia ii quos habemus, posterioribus temporibus compositi sunt, neque ullum exstat testimonium, quod repetatur ex saeculo quinto aut superioribus. Sed inscriptio temporis maxime reconditi est Mytilenaeorum et Phocaeensium foedus, quod Clemm l. l. quarti saeculi a. Ch. n. initio tribuit. In quo titulo praeter ἀμφότεραι (de quo vide infra) occurrit verbi pluralis γράφωισι, referendus ille quidem ad ἀμφότεραι πόλεις. Idem demonstrat titulus Eresianus, ed. Sauppe l. l., in quo legitur I, 36 τῶν πρότερον τυράννων (sc. Hermonis et Heraei) ἀπογόνων Ἡρωΐδα τε καὶ Ἀγησιμένεος; II, 12 αὔτως spectat ad ea quae antecedunt, Ἀγωνίππω καὶ Εὐρυσιλάω; ib. lin. 20 τῶ Ἕρμωνος καὶ Ἡραίω τῶν πρότερον τυραννησάντων; ib. lin. 33 τῶν βασιλέων, qui sunt Alexander et Philippus. Ad eosdem refertur [τοῖς βασ]ιλήεσσι et τοὶς βασίληας, C. I. 2166, c). In tit. C. I. 3523 legitur Ἐλπινίκῳ καὶ Ἀθαναδώρῳ τοῖς παίδεσσι τοῖς Ἀγασιστράτω Τενε-

---

[1]) Id quod inde apparet, quod ὄσσε saepius conjungitur cum verbi singulari, ut M 466 ὄσσε δεδήει et ζ 131 ὄσσε δαίεται. Apud posteros saepissime induit terminationes pluralis.

[2]) Nuperrime collegit tit. Aeol. Bechtel, Die inschriftlichen Denkmäler des äol. Dialects in ‚Beiträge zur Kunde etc. ed. Bezzenberger' a. 1880, pag. 105 sq.

δίοισι εὐεργέταισι ἐόντεσσι δέδοσθαι καὶ αὔτοισι cet. Denique commemoramus ex titulo Erythraeo, ed. Kenner l. l., lin. 3 περὶ ὧν Πολυδεύκης . . . . καὶ Αἰσχύλης ἐπὶ τὸν δᾶμον ἦλθον: lin. 5 περὶ τῶν δικαστᾶν Ἑκαταῖο Δημητρίω, Διοδότω Κλεωνυμείω, ὤσκε ἐπαινεθεῖεν καὶ στεφανωθεῖεν, et porro ὑπὲρ αὐτῶν. Cf. quod infra legitur, ἀμφοτέρων τῶν πολίων. De Tyndaridis in tit. C. I. 2165 semper est Διοσκούρων, —οις cet.

Praeter titulos carmina Sapphus et Alcaei inquirenda sunt; nam Terpander quamvis ipse vates Aeolicus, cum condidisset Spartae κατάστασιν μουσικήν confecit, carmina dialecto lyrica Lacedaemoniis apta. Neque vero in Sapphus carminibus neque Alcaei ullum dualis exemplum reperitur.

1) Ac primum quidem nominum utique pluralis legitur:

a. Membrorum corporis paria plurali expressa haec insunt: Sapph. 2, 11[1]): ὀππάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημ'—, 28, 3 αἴδως κέ σ' οὐ κίχανεν ὄππατ'—, 29, 2 ἐπ' ὄσσοις, 19, 2 πόδας (ut lego cum Seidlero, quia πόδα δὲ non quadrat in versum) ποίκιλος μάσλης ἐκάλυπτε, 98, 1 θυρώρῳ πόδες ἐπταρόγυιοι, τὰ δὲ σάμβαλα ἐπταβόηα, 118, 2 πρὸ ποδῶν,[2]) 54, 1 πόδεσσι, 94, 1 πόσσι, — Alc. 87 πρὸς πόσιν, cf. 103 Σκυθίκαις (quod est pedum quoddam vestimentum); Sapph. 30, 2 σφύρων, 78, 2 ἀπάλαισι χερσίν, Alc. 39, 8 γόνα.

b. Sapph. 31 legitur Λάτω καὶ Νιόβα μάλα μὲν φίλαι ἦσαν ἔταιραι, 37 δυσὶ πάχεσι nihil nisi Bergkii conjectura est. Huc accedit δύο μοι τὰ νοήματα Sapph. 36, et porro Alc. 41 δύο πλέαις.

Jam cognoscimus re vera priscis temporibus interiisse dualem Aeolibus, neque omnino exstitisse illis vetustis vatibus Lesbiacis.

Eadem lex videtur fuisse ceterorum, qui post illos carmina Lesbiaca panxerunt. Quod priusquam exemplis confirmemus, paucis de Erinna poëtria exponamus. Hanc Suidas s. v. Aeolicam vocat: quem plane refutat Bergkius, Poët. lyr.

---

[1]) Affero, ut caeteros lyricos, ex editione Bergkii ‚Poëtae lyrici Graeci', Lips. 1867.

[2]) In epigrammatis B. dialectum Aeolicam non restituit.

pag. 925. Dilucidum enim est Erinnae dialectum nihil habere Lesbiaci, sed hanc esse, quam fere omnium lyricorum propriam videmus, Doricam. Nec possumus dubitare, quin ob carminum dulcedinem cum Sapphone sit composita illa et ejus aequalis amicaque sit declarata.

Nec Telesillae nec Praxillae, quae aliquot formas Aeolicas e poësi Lesbiaca haustas suis carminibus inseruerunt, in fragmentis ullus inest locus, in quo dualem potuerint ponere. Quae praeterea dialecto Aeolica composita sunt, epistulae Pittaci, traditae hae quidem apud Laert. Diog. I, 81, tum Melinnus carmen εἰς Ῥώμην, denique epigrammata ascripta in Memnonis statua, quae jam reperies apud Kaibel, Epigrammata e lapidibus conlecta: ex his monumentis non elucet, num re vera dualis numerus repudietur.

Postremo hic adnumeranda sunt idyllia Theocriti Aeolice conscripta, Id. 28, 29, 30,[1]) quae ut ab omni parte Theocritum prorsus Lesbiacorum dialectum imitatum esse docent, sic dualis fugam, ut utar hoc verbo, demonstrant. Nam Id. XXIX, 34 amator amicum hisce verbis alloquitur:

ἀλλάλοισι πελώμεθ' Ἀχιλλέϊοι φίλοι;

porro Id. XXVIII, 9 legitur Νικιάας εἰς ἀλόχω χέρρας; Id. XXX, 6 παραύαις (quae forma videtur restituenda esse ex παραύλαις, quod liber praebet) et ib. v. 34 ἐν κροτάφοις.

2) Dualis forma in conjugatione verborum nusquam invenitur, cf. Sapph. 31.

[1]) Utor editione H. Fritzschii.

II.

De dialecto Dorica.

Quae apud Ahrensium, ‚de dial. Dor.' in nostram causam cadunt, sunt haec: ‚Praemonendum est, Doricae dialecti, quamquam grammaticis tacentibus, dualis numeri usum non magis familiarem videri quam Aeolicae. Unica ejus exempla, quae in fontibus paullo certioribus legere meminerimus, sunt jurandi formula Laconica ναὶ τὼ σιώ, quae frequentatur in Lysistrata, et ibidem v. 1310, 1316 ποδοῖν' (pag. 222). Quae Ahrensius affert ex Aristophanis Lysistrata, non multum habent ponderis. Namque forma ποδοῖν est Aristophani tritissima atque transtulit haud scio an ex suo ipsius sermone, cum idem in Acharn. Megarensem quendam Dorice faciat utique loquentem: ut v. 731 ὦ πονηρὰ κορί'— de duabus quidem personis, v. 732 ἄμβατε et εὕρητε; etiam v. 733 ἀκούετε legendum est cum G. Hermanno; denique v. 813 τούτων. Deinde juris jurandi formulam ναὶ τὼ σιώ consentaneum est per longa tempora esse deductam, vixque posteriore aetate perceptam esse eam vim, quae ab initio propria fuerit dualis. Ceterum cf. Xen. Hell. IV, 4, 20 ναὶ τὼ σιώ. Idem valet de formula νὴ τὼ λαπέρσα, quae legitur apud Sophoclem, fragm. 339, ed. Dindorf.

Neque tamen desunt testimonia, quae huic Ahrensii opinioni repugnent. Nam praeter ea, quae ipse vir doctissimus protulit, notamus Pausaniam V, 19, 3 tradere hanc Cypseli arcae inscriptionem: Τυνδαρίδα Ἑλέναν φέρετον, Αἴθραν δ' ἕλκετον [Ἀθάναθεν. cf. Bergk, Poët. lyr. pag. 821]. Quae quin genuina sit, non est cur dubitemus. Sed nostrum est nunc titulorum et literarum reliquias pervestigare.

1. Tituli.

Perlegi titulos qui continentur in Corpore Inscript. Graec., apud Le Bas-Waddington, Voyage archéologique, II et III, Ulrichs, Reisen in Griechenland, Ross, Inscript. Graec. ined., Ross, Archäologische Aufsätze, Ross, Inselreisen, Leake, Travels in Northern Greece, E. Curtius, Anecdota Delph., Wescher et Foucart, Inscriptions inédites, recueillies à Delphes, Cauer, Delectus inscriptionum etc., Kaibel, Epigrammata e lapidibus conlecta. Reliqui fontes e quibus hauserim, infra suo quique loco indicabuntur.

Dualem numerum Doribus jam pristinis temporibus interiisse praeclare confirmant tituli. Neque enim certum ullum testimonium hujus numeri, praeter formas δύο et ἄμφω, ne in antiquissimis quidem monumentis exstat. Nam quae exempla dualem tradere videntur, non satis sunt vacua dubio. Ut in titulo Messeniaco, ed. Le Bas, Voy. II, 311, haud scio an legendum sit ἱεριτεύσαντε, et sic quidem:

. . . . . .
Σωτέλης
ἀρχοί
Λιμνάτι
ἱεριτεύσαντε,

quam scripturam defendit Le Bas in ‚Explications‘ ad h. l.; sin Keilium, ‚Sched. Epigr.‘ pag. 17 sequemur, praeferre cogemur ἱεριτεύσαντες. Qui locus, cum litem equidem disceptare non possim, certi quicquam huic quaestioni nequit praebere. Alteram dualis formam τούτοιν, ut relatam ad duas personas, suspicatur Kaibel in tit. Delphico scriptam fuisse, quem ed. in ‚Hermes‘, VIII sub c. Sed ipse hic vir doctus in pag. 423 adnotat: ‚Certi nihil percipi potest.‘ Profecto nostro jure tentabimus τούτ[ω]ν, cum alterum dualis vestigium in dialecto Delphica non exstet. Tertius legitur dualis in tit. C. J. 5984, tab. C, 5, qui Argolidi tribui debet: καὶ Ζάταν καὶ Κάλαϊν υἱὼ Βορέα. Sed cum excepta ipsa hac forma υἱώ in his tabulis Argivis utique reperiatur pluralis, et cum tab. C recentiore sane aetate a grammatista quodam sit composita, censuerim υἱώ esse ex epicorum memoria huc traductum.

Age nunc proferamus locos, qui dualis numeri inopiam dialecti Doricae declarent.

1. Pluralis nominum ponitur.

Praemonemus nos substantiva conjuncta cum δύο hinc segregata infra esse enarraturos.

In tit. Laconico, C. J. 1261, legitur Θεοῖς Σωτῆρσι Διοσκόροις; cf. ib. 1421, et tit. Corinthiacum, ed. Le Bas, Voy. II, 87 b θεοῖς Σωτηρίοις. In tit. Messeniaco, 12 apud Cauer, est *πρεσβευταὶ Τίμαιος Κλεόπατρος. Multo gravioris ponderis est inscriptio vetustissima Argolica, C. J. 18, quam Boeckhius ita explanat, ut Δαμοιτάδαι referatur ad Ὀφελλοκλείδας Κλε—. In tit. Argolico, ed. Ross, Inscr. Fasc. I, 88, est: Ξενόφιλος καὶ Στράτων Ἀργεῖοι; tit. Calauriensis, Cauer 19, habet τᾶν θυγατέρων Νικαγόρας καὶ Ἀριστοκλείας. In tabulis Argivis, C. J. 5984, legimus ἐπιβουλεύσαντας . . . σφάξαντας de Zeta et Calaï, ib. lin. 18 υἱοὺς Ἀγαθάρχου ἔθετο καὶ Σκύθαν. Titulorum Corcyraeorum huc revocandi sunt tit. C. J. 1925, qui habet χερσίν, et tit. 13 ed. a. Wachsmuthio in ‚Rhein. Museum' XVIII, pag. 138 sq., ubi est δικαστᾶν Ξενοφάντου Κλειοστράτου. Idem reperimus in inscriptionibus quotquot inspeximus insularum Doricarum. Namque in tit. C. J. 2439 exstat δοιῶν εὐγενετῶν γονέων et ib. 2445 γονεῦσι; in magno titulo Therensi, C. J. 2448 I, 12 ἁμῶν legitur: IV, 14 τῶν υἱῶν Κρατησιλόχου καὶ Ἀνδραγόρου; ib. v. 17 τοῖς ἥρωσι; tit., quem ed. Ross in ‚Kunstblatt' a. 1836, 19 pag. 74, praebet Νικόμαχος καὶ Σωκράτεια οἱ Σωσικλεῦς. Inscriptionum Rhodiarum, ed. Ross ‚Rhein. Mus.' a. 1846, pag. 161 sq., tit. 9 habet: Ἐπιστάται τοὶ πεμφθέντες Εὐκράτης Ζήνων. Huc accedunt illi tituli, quos publici juris fecit Ross ‚Inscr. Gr. ined.': II, 175 est de duobus γενόμενοι; 179 Διοσκόρων et Διοσκόροις; III, 274 in titulo satis vetusto Ζώϊλος [καὶ] Καλλίστρατος τοὶ Καλλιστράτου.

Tunc in inscriptionibus Cretensibus haec insunt: C. J. 2555 legitur τῶν πόλεων sc. Hierapytnae et Priansi; ib. 2557 παραγενομένων τῶν πρεσβευτᾶν ποθ' ἁμὲ Φάνιός τε καὶ Δόρκω,

οὓς ἀπεστείλατε πρεσβεύσοντας; ib. ταῖς πόλεσι ποτ' ἀλλάλας. In tit., ed. Naber in ‚Mnemosyne' I, pag. 106 ταῖς πόλεσιν dictum est de Hierapytna et Lyttiorum urbe; ib. pag. 114 legitur πρεσβευτὰς Θεόδοτον καὶ Ἀριστόμαχον. Denique exstat in titulo Teio, ed. Le Bas, Vog. III, 62, τῶν πρεσβευτᾶν Ἀπολλοδότω καὶ Κωλώτα.

Procedimus ad titulos dialecto Delphica confectos. In tit. C. J. 1689[b] legimus Ἀριστοκράτους Ἄνδρωνος Βοιωτῶν, tit. 1692 Πατρών[δᾳ]— Εὐθύρῳ Βοιωτοῖς. In hierodulorum decretis semper verba sunt, ut (uno contenti simus exemplo) in tit. C. J. 1699 βουλευόντων τὰν δευτέραν ἑξάμηνον Καλλία τοῦ Δίωνος Νικαστράτου τοῦ Εὐδώρου, et ut in tit. 1703 οἱ βεβαιωτῆρες ἐχόντω de duobus vadibus dicitur, et ut ib. μάρτυρες [οἱ] ἱερεῖς τοῦ Ἀπόλλωνος Ἀρ[χί]ων Ἁ[βρο]μάχου καὶ Νεόκωρος; denique ut in tit. 1707 συνευδοκεόντων καὶ τῶν υἱῶν αὐτᾶς Αἰακίδα καὶ Χαιρεφάνεος. Curt., Anecd. Delph. tit. 55 αὐτοῖς refertur ad Λυσάνδρῳ Ὀνομακλεῖ Αἰγινάταις; Wescher-Fouc. tit. 138 praebet τοῖς γονεῦσι, et tit. 217 Μένωνι καὶ Φίλωνι τοῖς Πολύας υἱοῖς, paullo post de iisdem αὐτοῖς. In tit., ed. ‚Annali dell' Instituto a. 1861 pag. 67' legimus βουλευόντων Ἁγίωνος Τιμοκλέους, cf. tit. 2 et 4. Denique invenimus in tit., ed. Kaibel, ‚Hermes', VIII, pag. 412, sub 1) ἐλευθέρους εἶμεν de duabus personis, et τὰ δύο σώματα.

Inscriptio Phocensis, C. J. 1724[b] ἀρχόντων de duobus magistratibus habet. In tit. 89 apud Cauer ubique legitur pluralis, ut ἐλευθέρους et αὐτούς sc. Εὔπραξιν καὶ τὸ παιδάριον ἐξ αὐτᾶς.

Pauci tituli Siculi concludant hanc partem. Inest in tit. C. J. 5466 ἐπὶ γυμνασιαρχῶ[ν] Ἀριστίωνος . . . καὶ Φιλιστίωνος, et in titulo 5491 οἱ πρεσβέες οἱ ἐς Ῥώμαν πορευθέντες Πασίων καὶ Θεόδωρος. In tit. 5432, 5438, 5643 ἁγναῖς θεαῖς significat Cererem et Proserpinam. E titulis Magnae Graeciae huc referendus est C. J. 6241, ubi σφίσι exstat de duobus.

2. Pluralis verborum ponitur.

Praeter ea exempla quae jam commemoravimus, haec afferenda videntur. In tit. Messeniaco, 12 apud Cauer, qui exstat ex saeculo tertio a. Ch. n., legitur διελέγοντο de legatis Timaeo et Cleopatro. In tit., ed. Ross, ‚Inscript. Gr. ined.‘, I, 58 ἐποίησαν est de Xenophilo et Stratone; ib. II, 175 ἐξέθυσαν et ἔχοντι de duobus. C. J. tit. 1098 Δημοκλῆς καὶ Ζωπυρᾶς κατεσκεύασαν; tit. 2491 ἀνέθηκαν; tit. 6854[b] ἐπόουν de duobus artificibus. In tabulis Argivis C. J. 5984, C, 32 legitur Κάστωρ καὶ Πολυδεύκης συμπλοῦντες ἐνίκασαν In tabulis hierodulorum Delphicis saepissime legitur ut e. g. in tit. C. J. 1705 παρεχόντω ὅ τε ἀποδόμενος Ξένων καὶ ὁ βεβαιωτὴρ Πάτρων; Wescher-Fouc. 241 εἰ δὲ μὴ ποιέοιν Νικαία καὶ Ἰσθμός.

2. Poëtae melici.

Melicos Graecos Dorica dialecto usos esse satis notum est. Nec vero est eorum sermo plane Doriensium. Namque cum poësis chorica a Terpandro Spartam sit insita, liquet nonnihil ex Aeolum usu loquendi esse translatum. Et profecto Alcmanis fragmenta dialecti Aeolicae vestigia praebent.[1]) Itaque cum Spartae ad magnum quendam splendorem elata esset poësis chorica a Doricis, praecipue Alcmane, Tyrtaeo, aliis, ab his summis melicorum poëtarum praeceptoribus ad eam dignitatem producta est dialectus Dorica, ut hac non modo Siculi, ut Stesichorus et Ibycus, sed etiam ei poëtae, qui non erant natu Dorienses, in carminibus uterentur atque ita quidem, ut, si minus omnis eorum oratio Doridem redoleret, haec tamen utique sermonis quasi fundamentum maneret.

Quae quoniam fuerunt praemittenda, singulorum poëtarum qui sit usus dualis, an exstet omnino, quaeramus.

Omnium melicorum aetate antiquissimus est Terpander. Qui in frgm. 4 alloquitur Dioscuros κάλλιστοι σωτῆρες. Eosdem significat Alcman, 12 δματῆρες et ἱππόται σοφοί. Etiam frgm. 8 articuli forma τώς pertinet ad Tyndaridas. Frgm. 16 Amoris parentes appellantur γεραίτατοι.

---

[1]) Cf. Spiess in ‚G. Curtius, Studien etc.‘, X, pag. 329 sq.

Poëtae Siculi Stesichorus et Ibycus prorsus evitant dualem. Itaque habet Stesichorus de equis Phlegeo et Harpago frgm. 1, 1 ὠκέα τέκνα. Si tamen cum Bergkio legas ἐξόχω υἷε Θυέλλας, quae verba ille vir sagacissimus supplet ad Ξάνθον καὶ Κύλλανον, sane habeas exemplum certe unum dualis: sed quia hoc esset unum, ego quidem improbo. Frgm. 8, 6 legitur ἔβα ποσσί. In Ibyci frgm. 16 verba

Τούς τε λευκίππους κόρους
τέκνα Μολιόνας κτάνον
ἅλικας ἰσοκεφάλους
ἀμφοτέρους γεγαῶτας ἐν ὠέῳ ἀργυρέῳ

referuntur ad duos Augiae sororis filios Molionides.

Nunc videamus de Simonidis Cei melicis carminibus. Invenitur frgm. 5, 2 χερσίν τε καὶ ποσίν, neque tamen dictum de una quadam persona, sed est locus communis; frgm. 8, 2 vero babemus χεῖρας ἀντείνατ' —; frgm. 17 ἐκ χειρῶν, 37, 3 ἀδιάπτοισι παρειαῖς. Addo Simonidem ne in epigrammatis quidem, quae non conscripsit Dorice, dualem posuisse.

Phrynichi frgm. 2 est ἐπὶ πορφυρέοις παρῇσι. In Bacchylidis frgm. 13, 10 occurrit βλεφάροις, sed ita, ut ad complures pertineat. Eodem modo dictum est Philoxeni κατὰ χειρῶν, 2, 39, qui habet 15, 4 ἐκ γονάτων. In Licymnii frgm. 3 leguntur formae ὀμμάτων et ὄσσοις; in Telestis frgm. 1, 5 ἐκ χειρῶν et ib. 14 σὺν ἀγλαᾶν ταχύτατι χειρῶν.

De Erinna jam supra diximus. Cujus frgm. 3 praebet dualis exemplum ὄσσε: sine dubio nihil nisi ex Homeri carminibus transductum; frgm. 4 legimus ἐξ ἀταλᾶν χειρῶν.

Ex adespotis carminibus (apud Bergk. inde a pag. 1323) adnotamus Τυνδαριδᾶν 24 et 91 Τυνδαριδᾶν ἀδελφῶν.

Adjungimus ex ‚Anthologia Graeca', ed. F. Jacobs, legi in carminibus Doricis Mnasalcae μετὰ χερσίν II, 3 et χείλεσιν VIII, 4; Anytae χερσί III, 4 et XX, 2; Simmiae χερσίν III, 3.

Nunc transeamus ad

Pindarum.

Materiam ut supra ita disponimus, ut primum de duali in declinatione nominum, tunc de duali in conjugatione verborum quaeramus.

1. Dualis in declinatione.

Substantivorum dualem numerum non nisi nominum πούς et χείρ invenimus: χεροῖν legitur Ol. XIII, 95.[1]) ποδοῖν Nem. IX, 47. Utriusque formae casus est dativus. Pronomen νώ occurrit Pyth. IV, 147. Participia in duali posita sunt haec: καταβάντε Ol. IX, 43 et ἀτυζομένω Ol. VIII, 38. Adnotamus dualem articuli prorsus deesse.

Quae cum ita sint, nostrum est dijudicare, utrum hae formae a Pindaro adhibitae sint bono consilio ipsaeque nondum invalidae, sed prisco florentes vigore, an temere irrepserint in Pindari calamum ita, ut nihil habeant illius vigoris, fortassis ex memoria Homeri, quippe cujus vestigia summo studio sit secutus, haustae.[2]) Quod ut consequi possimus, necesse est in commentationem nostram inserere et conferre omnes eos carminum Pindaricorum locos, in quibus nos quidem Homeri exemplar Atticorumque usum dicendi intuentes dualem sive exspectaverimus sive suo jure poni posse crediderimus. Itaque singula videamus.

a. Incipimus ab iis substantivis, quae significant corporis membrorum paria. Prae caeteris huc referenda sunt χείρ et πούς.

α. χείρ. Omissis formis singularis poëtice pro duali adhibiti enumero totum pluralis usum. Ol. II, 74 legitur χέρας, loci sententia est: Beati bracchia temporaque sertis ornant;[3]) XI, 127 χεῖρας δὲ καὶ ἦτορ ἴσον, dictum de Psaumide, et id quidem metaphorice, cum ‚manus' idem sit atque ‚manuum robor'; VII, 65 jubet Jupiter Lachesin χεῖρας ἀντεῖναι, h. e. nihil nisi locutio pro simplici verbo jurandi, quod brevi post continetur iis quae subsequuntur: θεῶν

---

[1]) Utor editione Bergkii ‚Poëtae lyrici Graeci, Pars I', a. 1878.

[2]) Metro quidem coactum Pindarum duales usurpasse nemo, spero, contendet.

[3]) Lego enim hunc locum e conjectura G. Hermanni: ὅρμοισι τῶν χέρας ἀμπλέκοντι καὶ στεφάνας, cum στεφάνας maxime concinat cum στεφάνοις librorum, quae forma ferri nequit.

δ' ὅρκον μέγαν μὴ παρφάμεν; VIII, 75 χειρῶν ἄωτον, ‚manuum florem' est metaphora pro ‚egregio manuum robore'; IX, 30 Ἡρακλέης σκύταλον τίναξε χερσί, ad h. l. cf. quae Bieber l. l. pag. 46 dicit: ‚Non ponitur in duali nomen, etsi de duabus rebus dictum, — membrorum paria, si non premuntur, sed quasi instrumentum verbo adduntur'; X, 62 χείρεσσι, ποσίν τε καὶ ἅρματι, — χείρ. metaphorice dictum est pro ‚pugillatu'; Pyth. I, 82 exstat χερσὶ βιαταί juxta σοφοί, sensu communi ‚viri manuum robore florentes'; II, 8 ἐν χερσὶν ἀγαναῖσι sc. domuit Hieron pullos, cf. quae ad Ol. IX, 30 notavimus; III, 5 ἐν χερσὶν χρυσὸς φανείς, ‚aurum ex apertis manibus elucens': noli h. l. de certis quibusdam manibus cogitare; ib. v. 57 Cronion χερσί fulmen demittit; IV, 193 Mopsus χείρεσσι poculum amplectitur; VIII, 77 ὑπὸ χειρῶν par est ‚deorsum'; X, 23 χερσὶν ἢ ποδῶν ἀρετᾷ dictum est in loco communi; XI, 17 χειρῶν ὕπο κρατερᾶν metaphora est pro ‚ex potestate' sc. Clytaemnestrae ereptus est Orestes; Nem. I, 44 δισσαῖσι χερσὶν ἑαῖς, perspicuum est δισσαῖσι dualis vice fungi; III, 44 χερσίν sc. Achillis jaculantis; ib. v. 62 χεῖρας ἐπιμίξαις Αἰθιόπεσσιν idem est ac ‚bracchiorum robore instans'; V, 19 χειρῶν βίαν in loco communi, comparatum cum ὄλβος et πόλεμος; VI, 39 χεῖρας δεθείς sc. loris in gymnasio; ib. v. 66 χειρῶν τε καὶ ἴσχυος ἁνίοχος est figura ἓν διὰ δυοῖν pro ‚manibus robustus'; VIII, 3 χερσὶν ἁμέροις sc. Hora deducit homines; IX, 39 χερσὶ καὶ ψυχᾷ δυνατοί i. e. robore animoque validi; X, 48 χειρῶν τε σθένει νικᾶσαι in loco communi; Isthm. I, 15 ἀλλοτρίαις οὐ χερσίν Herodotus moderatur habenas, dictum hoc quidem sensu parum distincto; ib. v. 24 χερσὶν ἀκοντίζοντας αἰχμάς sc. Castorem et Pollucem; V, 9 χερσὶ νικάσαντ' — oppositum est celeritati pedum quae sequitur, et significat ‚pugillatu'; ib. v. 61 ἐν γυιοδάμοις χερσίν nihil aliud est nisi ‚fortissimarum manuum vi', sc. Pytheas viam patefecit; VI, 34 χερσίν sc. arcui non pepercit, ut ante plura vidimus exempla, copiosius dictum quam distinctius; ib. v. 41 χεῖρας ἀμάχους Hercules tendit ad coelum: exspectaverimus dualem; VIII, 87 χεῖρας i. e. ‚robore manuum' sc. Martis similis; Fragm. 11 B σαῖς ὑπὸ χερσίν est ‚tuarum manuum vi'.

Nunc qualis sit locus, ubi dualis χεροῖν legitur, contemplemur: Ol. XIII, 95. Versus hi sunt:

ἐμὲ δ' εὐθὺν ἀκόντων
ἱέντα ῥόμβον παρὰ σκόπον οὐ χρὴ
τὰ πολλὰ βέλεα καρτύνειν χεροῖν.

Ego quidem judico hunc dualem a Pindaro minime forte et sine sua vi esse positum neque in memoriam venisse ex epicis, id quod vel eo refelli potest, quod Homerus hanc formam χεροῖν omnino non habet (cf. Blackert l. l.); sed scientem volentemque nostrum h. l. numerum dualem usurpasse, ut ante oculos audientium pingeret imaginem. Quae quidem revocata est ab habitu conditioneque jaculantis: manifestissima exprimitur haec effigies, cum poëta ambo bracchia ad missum intenta demonstret. Itaque hic dualis usus est plasticus, praeclarissime ille quidem adhibitus a Pindaro.

Praeterea utique invenimus pluralem. Sed quoniam unum quodque exemplum supra accuratius inspeximus, nostro jure contendimus paene cuncta aut usum metaphorae praebere aut parum distinctam locutionem, ut certum dualem numerum cogitare non possimus. Unum tamen excipimus locum, Isthm. VI, 41 ἀμάχους χεῖρας. Ex ipso hoc usu apparet Pindarum neglexisse illam consuetudinem linguae Graecae, qua dualis reposcatur, quotiescunque de membrorum paribus agitur.

Restat, ut verba faciamus de aliquot locis, ubi dualis locum alia dicendi ratione obtineri possit contendi. Unus est Pyth. II, 9 ἐπὶ γὰρ ἰοχέαιρα παρθένος χερὶ διδύμᾳ ὅ τ' ἐναγώνιος Ἑρμᾶς αἰγλάεντα τίθησι κόσμον. Gu. de Humboldt, cujus sententiae ego assentior, vernacule vertit: ‚Denn der bogenerfreuten Jungfrau und des wettkampflenkenden Hermes Zwillingshand legt ehrend selbst den strahlenden Schmuck auf‘ — ita ut χερὶ διδύμᾳ sit ἀπὸ κοινοῦ referendum et ad Dianam et ad Mercurium — sine dubio aptius, quam si dicas ‚Diana utraque manu (quod significaret acre deae studium) et Mercurius.‘ Qui nobiscum facit, dualem numerum reposcere nequit. Nam quamquam duae sunt manus, tamen

duae quae fortuito componantur. Alter locus est Nem. VII, 94 ἀμφοτέρας χειρὸς ἰών: ubi ἀμφότερος idem est ac Latinum ‚uterque', i. e. ‚et hic et ille' vel ‚et unus et alter'. Tota loci sententia haec est: ‚Ut quadrigae equis, sic aedes tuae templis circumdantur', et additur ‚sive ab dextra sive ab sinistra accedis parte'.

Pergimus ad vocem

β. πούς. Pluralis exempla haec proferantur, quorum natura fere eadem est atque formarum vocis χείρ: Ol. X, 62 χείρεσσι, ποσίν τε καὶ ἅρματι, per metaphoram ποσίν idem valet ac ‚pedum cursu'; ib. v. 65 ποσσὶ τρέχων copiose dictum est, ut saepe; XII, 15 τιμὰ ποδῶν tropica locutio est pro ‚gloria celeritatis pedum'; eodem modo XIII, 36 usurpatum est αἴγλα ποδῶν; ib. v. 114 κούφοισι ποσί — ἐκνεῦσαι non est locutio simplex, sed tropica: ‚ut expeditis pedibus enatent'; Pyth. VIII, 32 τὸ δ' ἐν ποσί est ‚id quod proximum est'; X, 23 ποδῶν, cf. s. v. χείρ; Nem. I, 50 ποσσὶν ἄπεπλος ὀρούσαισ'—, ‚nuda vestimentorum exsiluit pedibus', ut Ol. X, 65; III, 81 ποσίν de aquilae pedibus, quibus rapinam corripit; VIII, 19 ποσὶν κούφοις ‚levibus pedibus' sc. ‚consisto'; poëta de se ipse loquitur idque, cum verbo neminem umquam offenderit: metaphoram inesse liquet; ib. v. 47 ποδῶν δὶς δὴ δυοῖν ἕκατι, ‚propter binos bis gloriosos pedes', apparet obscuriorem carentemque perspicuitate hanc esse locutionem; X, 48 ποδῶν, cf. s. v. χείρ; ib. v. 63 λαιψηροῖς δὴ πόδεσσιν ἐξικέσθαν; Isthm. V, 10 ταχύτατι ποδῶν, locus est plane communis, cf. s. v. χείρ; VIII, 37 ἀκμὰν ποδῶν sc. ‚Achilles Jovis fulmen adaequat': oculis quidem h. l. nihil subicitur.

Semel legimus dualem ποδοῖν: Nem. IX, 47. Loci sententia haec est: Si quis praeter divitias adeptus est gloriam praeclaram, is caveto:

πόρσω σκοπιᾶς ἄλλας ἐφάψασθαι ποδοῖν.

Ut supra χεροῖν, sic ποδοῖν eo consilio a poëta adhibitum esse videtur, ut imaginem susceptam non tam uberius expressiusque quam clarius et apertius induceret et depingeret. An verbo ποδοῖν non id efficitur, ut ipsam Fortunae assectatoris personam manifesto intueri nobis videamur? Hoc dualis

ποδοῖν judicium quominus reprobetur, praeterea impedit, quod ex exemplis modo congestis intelligimus nusquam excepto hoc loco Pindaro datam esse occasionem ponendi vocabuli πούς dualem numerum.

γ. Addimus reliquos locos, qui praebent pluralem vocabulorum membrorum paria significantium eorumque ornamenta:

τὰ γλέφαρα: Pyth. I, 8 γλεφάρων de Jovis aquilae palpebris, IV, 121 γηραλέων ἐκ γλεφάρων sc. patris Jasonis lacrimae effundebantur, IX, 34 ἐπὶ γλεφάροις sc. Cyrenae, Nem. VIII, 2 γλεφάροις παρθενηίοις, Isthm. VIII, 45 τοὶ δ᾽ ἐπὶ γλεφάροις νεῦσαν ἀθανάτοισιν;

ὀφθαλμοί: Pyth. IV, 120 ὀφθαλμοὶ πατρός i. e. πατὴρ ὀφθαλμοῖς;

ὄμματα: Nem. VIII, 43 ἐν ὄμμασι θέσθαι habet ‚demonstrandi' notionem, X, 41 φάος ὀμμάτων;

γένυες: Pyth. XII, 20 ἐκ καρπαλιμᾶν γενύων, Nem. V, 6 γένυσι;

γόνατα: Nem. V, 20 γονάτων, id. VIII, 13, Isthm. II, 26 ἐν γούνασι Νίκας;

πλευραί: Nem. X, 20 πλευραῖσι, Fragm. 88, 2 στιβαρὰς πλευράς;

ἐν ἀγκώνεσσι Νίκας Nem. V, 6 legitur; ἐν χείλεσσι Pyth. IX, 63; γνάθοις Nem. I, 42.

b. Altera pars quaestionis de duali substantivorum est de iis vocabulis, quae significant duos homines vinculis quibusdam inter se conjunctos, aut beluas aut res. Cujus usus ne vestigium quidem certum in Pindari carminibus inest. Sed proponam in conspectu exempla. Saepius agitur de Dioscuris: Ol. III, 1 Τυνδαρίδαις τε φιλοξείνοις; ib. v. 34 ἀντιθέοισι σὺν βαθυφώνοις διδύμοις παισὶ Λήδας; v. 39 εὐίππων διδόντων Τυνδαριδᾶν; Pyth. XI, 62 υἱοὶ θεῶν; I, 66 λευκοπώλων Τυνδαριδᾶν; Nem. X, 38 Τυνδαρίδαις; ib. v. 51 ταμίαι διέποντι περικαδόμενοι. Apollinem et Dianam, Latonae liberos, sic complectitur Pindarus: Pyth. IV, 3 Λατοίδαισιν; Nem. IX, 4 διδύμοις παίδεσσιν ὁμοκλάροις ἐπόπταις; Frgm. 64, 2 παίδεσσι Λατοῦς; Frgm. 116, 1 τεκέων Λατοῦς. Pyth. II, 47 legitur

ἀμφοτέροις τοκεῦσι, intell. de Centauro equaque Magnetica; IV, 89 Ἰφιμεδείας παῖδας de Oto et Ephialte; ib. v. 110 ἀρχεδικᾶν ἁμετέρων τοκέων de Jasonis parentibus; ib. v. 172 Neptuni filii Euphanes et Periclymenus appellantur δοιοὶ ὑψίχαιται ἀνέρες; ib. v. 178 Mercurii de filiis διδύμους υἱούς legitur; ib. v. 182 Zetes et Calais sunt ἄνδρες πεφρίκοντες ἄμφω; ib. v. 218 Μηδείας τοκέων. De Alcumenae filiis Hercule et Iphicle canit noster Pyth. IX, 86 διδύμων υἱῶν; XI, 1 ὦ Κάδμου κόραι Semele et Ino sunt, eaedem v. 7 ὦ παῖδες Ἁρμονίας; Nem. I, 42 τέκνοισι de Hercule et Iphicle dictum, iidem sunt Isthm. I, 56 παῖδες; Nem. XI, 22 Aristagorae parentes intelliguntur verbo γονέων; X, 65 Ἀφαρητίδαι sunt Lynceus et Idas; Isthm. II, 29 Αἰνησιδάμου παῖδες: Thero et Xenocrates; VI, 19 sq. ὔμμε, ὦ χρυσάρματοι Αἰακίδαι sine dubio referendum est ad solos Peleum et Telamonem, ut Isthm. VIII, 25 υἱέες et Nem. V, 12 Ἐνδαΐδος υἱοί; Isthm. VI, 62 Philonides et Pytheas παῖδες dicuntur; v. 63 de iisdem est Ψαλυχιδᾶν; VIII, 17 Theba et Aegina δίδυμαι γένοντο θύγατρες; ib. v. 51 legitur Ἀτρεΐδαισι. Denique Frgm. 228 Ζηνὸς υἱοί significantur Theseus et Pirithous.

Jam postquam absolvimus hos locos, — ceteros, ubi minus apte exspectaverimus dualem, in medium proferre nihil juvat —, addimus dualis lectionem probari Rauchensteinio Isthm. VIII, 52 ἄνακτε pro ἄνακτα, quod libri tuentur. Mihi quidem Pindarus scripsisse videtur, ut conjecit Bergk, ἄνακτας, quod referendum est ad deos universos quotquot Pelei nuptias frequentarunt.

Itaque videmus Pindarum duali nominum substantivorum plane abstinuisse, exceptis solis iis exemplis, quibus id agit, ut orationem exornet imaginibus quam maxime expresse pictis ante audientium oculos. Atque dualis loco, ubi necesse videbatur ejus notionem exprimere, leguntur ἄμφω, δίδυμος, δισσός et similia, de quibus infra disputabitur (cf. pag. 46 et 50).

3) Adicio huic de substantivis commentationi pauca de participiis. Satis erit duas dualis formas, quibus exceptis ubique pluralis legitur, perspexisse. Una est Ol. IX, 43

καταβάντε, sc. Deucalion et Pyrrha. Ut ceteroquin eximia quadam arte suam cuique notioni formam tribuere solet, sic Pindarus sibi constans hoc loco dualem posuit sciens volensque. Qui sane idoneus videtur ad contextum, quippe qui contineat descriptionem praeclarissimam: proavi enim generis humani obedientes Jovis dicto ambo de Parnasso degrediuntur. Alter locus est Ol. VIII, 38 αὖθι δ' ἀτυζομένω ψυχὰς βάλον sc. duo serpentes. Etiam hujus dualis causa videtur fuisse consilium poëticum, exprimendi subitum anguium attonitum.

4. Nunc quaeramus de pronominibus. Ac determinativa quidem semper plurali numero sunt expressa, paene semper personalia: Isthm. VI, 19 ὔμμε referendum est ad Peleum et Telamonem, VIII, 27 σφίν ad Jovem et Neptunum, Frgm. 140 ἐνὶ σφίσιν αὐτοῖς ad Otum et Ephialtem; Pyth. IV, 144 de se ipso et Pelia Jason utitur forma ἄμμες, v. 107 ἄμμιν ἀμφοτέροις, v. 147 duali νώ. Tota sententia haec est:

οὐ πρέπει νὼ χαλκοτέροις ξίφεσιν
μεγάλαν προγόνων τιμὰν δάσασθαι,

i. e. ‚nefas est nosmet magnam majorum gloriam dirimere'. Atque sententiae gravitas videtur haec esse, quod Jason Peliam seque comparat cum avis et opponit. Quam magna cum vi profert Pindarus: ‚nicht wir beide dürfen . . .' Haec certo fuit causa, cur dualis adhiberetur.

Noluerim negligere, Pindarum habere Pyth. IV, 223 ἀλλάλοισι de Medea et Jasone.

2. Dualis in conjugatione.

Formae duales leguntur hae: γαρύετον Ol. II, 86, ἐρύκετον, X, 5, κτισσάσθαν, IX, 45, ἐξικέσθαν Nem. X, 64.

De quibus ut recte judicemus, praemittimus omnes eos locos, ubi dualis vice pluralis legitur. Ol. II, 78 Πηλεύς τε καὶ Κάδμος ἐν τοῖσιν ἀλέγονται, ‚Peleus et Cadmus in beatis numerantur'; elucet hanc Pelei et Cadmi collationem, si non forte facta sit, tamen non esse necessariam; VI, 45 δύο δὲ γλαυκῶπες ἐθρέψαντο δράκοντες; VII, 100 sq. ἀγαθαὶ δὲ πέλονται

δύ' ἄγκυραι; VIII, 32 καλέσαντο sc. Apollo et Neptunus Aeacum socium adversus Troiam; ib. v. 38 οἱ δύο μὲν κάπετον et βάλον ψυχάς sc. duo dracones; IX, 84 ὅτ' ἀμφότεροι κράτησαν; v. 86 ἄλλαι δὲ δύ'— χάρμαι ἐγένοντο; Pyth. II, 30 sq. αἱ δύο ἀμπλακίαι φερέπονοι τελέθοντι. De omnibus his locis cf., quae dicemus infra de vocum δύο et ἀμφότεροι usu Pindarico; IV, 110 πέμπον et δῶκαν sc. Jasonis parentes; ib. v. 120 ἔγνον ὀφθαλμοὶ πατρός; ib. v. 168 ἐπαινήσαντες οἱ μὲν κρίθεν, ,adsensi Jason et Pelias discesserunt'; ib. v. 180 ἔβαν filii Mercurii, in enumeratione; ib. v. 209 δίδυμαι γὰρ ἔσαν ζωαί sc. Symplegades; ib. v. 251 μίγεν καὶ συνεύνασθεν, h. e. Jason et Medea perveniunt in mare rubrum et concumbunt; VIII, 17 δμᾶθεν Trypho et Porphyrio; IX, 68 μίγεν sc. Apollo et Cyrene; XI, 13 de Cadmi filiabus Semele et Inone ἴτε; Nem. I, 41 τοὶ μὲν ἔβαν, duo serpentes; III, 50 ἐθάμβεον Ἄρτεμίς τε καὶ θρασεῖ' Ἀθάνα; IX, 49 de Tyndaridis est διέπουσι et brevi post νέμονται; ib. v. 64 καὶ μέγα ἔργον ἐμήσαντ'— Apharetidae; de iisdem v. 66 est τοὶ δ' ἔναντα στάθεν et ἔμβαλον; v. 72 καίοντ' ἐρῆμοι, combusti sunt hi duo destituti ab omnibus; Istm. I, 17 de Castore et Jolao: κεῖνοι γὰρ διφρηλάται ἐτέκνωθεν, et v. 24 ἴεν cet.; V, 12 δύο μοῦνα ποιμαίνονται; VIII, 17 δίδυμαι γὰρ θέγατρες γένοντο καὶ Ζηνὶ ἅδον; ib. v. 24 ἀρίστευον υἱέες sc. Peleus et Telamon; ib. v. 27 ἔρισαν sc. Jupiter et Neptunus, et de iisdem παύσατε; Frgm. 140 ἀλλαλοφόνους ἐπάξαντο λόγχας ἐνὶ σφίσιν αὐτοῖς, sc. Otus et Ephialtes.

Age jam comparemus cum locis enumeratis formas duales. Facillime profecto expedimus ἐξικέσθαν, Nem. X, 64. Quis est quin videat ante ipsos oculos Apharei filios prosilientes, quoniam duali tam praeclare illustrantur? Supervacaneum est addere verba ἐμήσαντο et πάθον huic poëtae imagini non potuisse subici. Pergo ad Ol. IX, 45:

> αἰολοβρόντα Διὸς αἴσᾳ
> Πύῤῥα Δευκαλίων τε Παρνασοῦ καταβάντε
> δόμον ἔθεντο πρῶτον, ἄτερ δ' εὐνᾶς ὁμόδαμον
> κτισσάσθαν λίθινον γόνον.

Prolem comparandi notioni hoc loco multo majorem vim inesse quam domicilium aedificandi satis dilucidum est.

Itaque in verbo ἔθεντο personae significatio obscurior est, clarissime exprimitur forma κτισσάσθαν, vernacule: ‚sie begründeten sich als Elternpaar‘.

Ol. X, 5 legitur:

. . . ὦ Μοῖσ', ἀλλὰ σὺ καὶ θυγάτηρ
Ἀλάθεια Διός, ὀρθᾷ χερί
ἐρύκετον ψευδέων
ἐνιπὰν ἀλιτόξενον,

i. e. ‚Musa et Veritas, arcete opprobrium improbitatis‘. Dualis vult orationem confirmare et corroborare atque id ita, ut respondeat nostro ‚wehrt beide mit vereinten Kräften ab‘.

Postremo Ol. II, 87 γαρύετον. Totus locus est:

μαθόντες δὲ λάβροι
παγγλωσσίᾳ, κόρακες ὥς, ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον.

Dualis quamquam a nonnullis improbatus est, tamen codicum consensu satis defenditur. Neque est, ut vult Buttmannus (Gr. Gr. ampl. I, 348), temere pro plurali positus, sed scholiasta docet a Pindaro peti adversarios Bacchylidem et Simonidem. Nos paullo liberius vertere possumus: ‚Es krächzt das Rabenpaar an gegen‘ etc.

In Bergkii editione quintum hujus numeri verbalis exemplum reperies: Pyth. XI, 10 κελαδῆτον. Sed haec est conjectura viri de Pindaro optime meriti, Th. Bergkii. Libri habent sic:

ὦ παῖδες Ἁρμονίας . . .
. . . κελαδῆτε ἄκρᾳ σὺν ἑσπέρᾳ.

Qui foedissimus hiatus amovendus est, sequimurque Schneidewinum legentes κελαδήσετ' —. Nam cum verba antecedant: ἴτε σὺν Ἡρακλέους ἀριστογόνῳ ματρί, non de solis filiabus Cadmi, Semele et Inone, sed etiam de Alcumena, heroïna Thebaica, res enuntiatur. Itaque repudiandum est κελαδῆτον.

Quoniam in usum dualis et in declinatione et in conjugatione inquisivimus, sic videtur statuendum esse de conditione hujus numeri apud Pindarum, vitare quidem summum lyricum ejus formas, sed cum non ignoraret, quam vim haberet

hic numerus suo loco ad ornandam orationem, paucis locis in carmina inseruisse.

3. Poëtae comici Siculi.

Neque in Epicharmi neque Sophronis fragmentis ullum dualis vestigium legitur. Atque pertinent huc loci

1. Epicharmi, a. ubi membrorum paria significantur: Bus. 1, 3 [1]) κινεῖ δ' οὔατα, de Hercule dictum; Heb. nupt. 3 τὰ πόδι' ἔχει μικρά, τὰς χεῖρας δὲ μακράς sc. carabus; Elp. 1 τοῦ δὲ κατὰ πόδας; Meg. 1 τὰς πλευράς; b. aliae duae res sive animalia: Heb. nupt. B 7 ἐμβάφια δύο; Siren. 1, 5 κάμίαι δύο διατεταγμέναι μέσαι, de thynnis; Phil. 1 ἐν δὲ σκόραδα δύο καὶ γαθυλλίδες δύο; Inc. 27, τὰ πρὸ τοῦ δύ' ἄνδρες ἔλεγον; frgm. 40, 17 καί τυ δὴ κἀγὼ χθὲς ἄλλοι κοὔποχ' ὧυτοι. Denique addo Pseudoep. 10 ἡμίνας δύο.

2. Transeo ad Sophronem: a. frgm. 80 [2]) ἐκ ποδῶν et frgm. 84 ταῖς αὐταύταις χερσίν; b. frgm. 77 τὰς δύο λίτρας.

4. Poëtae bucolici.

Poëtarum bucolicorum, Theocriti, Bionis, Moschi, carminum pars confecta est dialecto Syracusana. Sed est haec temperata quaedam Doris neque qualis ab ipsis agrestibus, qui idylliis celebrari solent, usurpabatur. Neque tamen hac omnia illorum poëmata sunt composita, sed ea, quae epicas res tractant, epicam praebent dialectum. Atque in hunc modum

Theocritus,

quem reliqui sunt secuti, unaquaque utitur dialecto, ut in narrationibus vere epicis accuratissime veterum epicorum sermonem exprimat, in iis quae magis magisque spectant ad lyram, mitius lyrici sermonis leges observet, denique idyllia quae vere sunt, conscribat dialecto Dorica.

---

[1]) Epicharmus, ed. Lorenz, Berol. a. 1864.

[2]) Sophron. ed. Botzon, Marienburg a. 1856.

Jam viros doctos nobis assentiri opinamur, si ordimur a poëmatis vere epicis adicimusque carmina mitioris dialecti: quibus perspectis rectius nos de duali numero in idylliis, quae prorsus Dorice sunt composita, judicare posse nobis certum est.

Atque omni quidem ex parte epicorum legibus sufficiunt Id. XII, XXII, XXV. Itaque ab his carminibus initium facimus, eum, quem supra, secuti ordinem.

1. Dualis in declinatione.

De vocabulis δύο et ἄμφω et quae sunt similia. infra disputabitur. Substantivorum duales hi leguntur: a. ποδοῖιν Id. XXV, 69, ὄσσε ib. v. 254 et 260; b. φῶθ' — φῶτε, XII, 13, Διὸς υἱώ XXII, 1 sunt Dioscuri, cf. v. 137; ἀδελφεὼ υἷ' Ἀφαρῆος, ib. v. 139; de iisdem γαμβρὼ μελλογάμω v. 140, denique v. 130 ἀνεψιώ. Adjectivorum formae hae insunt: δίω XII, 12, ἰσοζύγω ib. v. 15, ἀκηλήτω XXII, 169, ὁπλοτέρω ib. v. 170. Participiorum: ἀναρπάξαντε XXII, 137, ἀποσχομένω v. 174, γεγαῶτε v. 176. ἐρυσσαμένω v. 191. κρατέοντε v. 213, λιπόντε Id. XXV, 153. Pronominum formae duales hae reperiuntur: articulus τώ XXII, 137, 182, 191, XXV, 153, τώ γε XXII, 138, τώ δε XII, 12, personalium: νῶϊν XXI. 11 νῶι XXII, 175, σφώ v. 169, σφῷν v. 166; denique τινέ legitur XXII, 12.

Pluralis fungentis vice dualis exempla enumero haec. Substantivorum plurales dualis locum obtinent: a. si detraxeris formas supra commemoratas ποδοῖιν et ὄσσε, membrorum paria semper plurali exprimuntur: XXII, 3 χεῖρας, idem. v. 64, 107, XXV, 266; ἀμφοτέρας χεῖρας legitur XXII, 133; XXV, 176 χειρῶν, id. 250, ib. v. 5 χερσίν, v. 221 et 268 πόδας, v. 102 πόδεσσιν, v. 156 ποσίν; XXII, 45 οὔατα, XXV, 233 ὀφθαλμοῖσιν, v. 254 ὤμων, v. 269 μηροῖσι et πλευρά. b. Id. XXII, 4 ἄρσενα τέκνα sunt Dioscuri, v. 5 de iisdem est δύ' ἀδελφεούς, v. 6 σωτῆρας v. 154 φίλοι ἄνδρες, v. 212 Τυνδαρίδαις; de Apharetidarum sponsis est XXII, 138 δοιὰς κόρας, v. 147 ἑὰς θυγάτρας; ib. v. 12 et 30 τοίχους ἀμφοτέρους pertinet ad navis parietes; v. 27 de Symplegadibus πέτρας εἰς ἓν ἰούσας. —

Adjectiva: XXII, 23 ἄμφω βοηθόοι, φίλοι ἄμφω, v. 169 ἀπηνέες; participia: ib. v. 10 ἀείραντες, v. 82 πνέοντες et ἐπειγομένοισι. Denique pronominum hae formae adhibitae sunt: saepissime occurrit articulus οἱ; ὔμμιν XXII, 161, ὑμεῖς v. 17, ὑμῖν v. 171, ὔμμιν ἀμφοτέροις v. 152, ἡμεῖς v. 148, ἡμῖν v. 147; ἀλλήλους invenitur XXII, 15, 108.

Haec hactenus. Sed quidnam nos docent? Conferamus, age, quae protulimus. Id. XXII, 4 Tyndaridae, brevi ante Διὸς υἱώ nominati, sunt ἄρσενα τέκνα; postea de iisdem dicitur Λακεδαιμονίους δύ' ἀδελφεούς, et v. 6 σωτῆρας; ceteris in locis dualem posuit poëta: ut appareat ipsam ejus licentiam modo hanc modo illam formam praetulisse. Et sic porro. Membrorum paria semper per pluralem leguntur; duo illa dualis exempla jam prorsus abolita ex epicorum usu dicendi dempta sunt. Adjectivorum et participiorum dualem a Theocrito saepissime usurpatum vidimus, sed ne horum quidem pluralem certa quadam lege removit, ut in tota pugnae Pollucis et Amyci descriptione tantum hic numerus legitur. Ceterum adjunxit Theocritus semel, XXII, 169, duali pluralem: ἀκηλήτω καὶ ἀπηνέες, metri causa. Pronominum dualis est creberrimus, sed hic quoque regula caret.

2. Dualis in conjugatione.

In idylliis XII, XXII, XXV verborum formae duales raro leguntur: XII, 2 γενέσθην, XXII, 137 φερέτην, ib. v. 170 ἐστόν, XXV, 153 ἐστιχέτην. Ac γενέσθην quidem et ἐστόν posita sunt congruentiae causa. Nomino ipsos locos: XII, 2 δίω δή τινε τώδε — γενέσθην φῶθ', et XXII, 170 ἄμφω δ' ἄμμιν ἀνεψιὼ . . . ἐστόν .

Dualis φερέτην videtur suam vim habere:

Τὼ μὲν ἀναρπάξαντε δύω φερέτην Διὸς υἱώ
δοιὰς Λευκίπποιο κόρας.

Nam oratio augetur duali, quippe qui fratres rapientes depingat ante legentium oculos. Eodem jure dualis ἐστιχέτην legitur

Τὼ δ' εἰς ἄστυ λιπόντε . . . πίονας ἀγρούς
ἐστιχέτην.

Quibus exemplis exceptis in nullum dualis vestigium incidi: ne tum quidem, cum subjectum praebeat hunc numerum. Quos locos afferam: Id. XII, 65 amator amatusque ἀλλήλους ἐφίλησαν ἰσοζύγῳ; XXII, 35 ἄμφω ἐρημάζεσκον; ib. v. 138 δοιὼ τώ γε ἐδίωκον et ἵκανον; ib. v. 213 ἔφυσαν, quamquam κρατέοντε legitur.

Nunc inquiramus in Id. XXIV, cui passim insertus est Doricarum formarum usus. Etiam in hoc carmine complures dualis formae insunt.

1. In declinatione nominum

praeter formas δύο et ἄμφω, de quibus infra videbimus, reperiuntur duales ἀδελφεώ (refertur ad Herculem et Iphiclem), v. 7; θῆρε v. 54 sunt duo dracones, qui v. 83 τώ δ'— δράκοντε nominantur. Huc accedit ποδοῖϊν epicum, v. 57. Quod legitur v. 7 ἐμὰ ψυχά de Hercule et Iphicle, utrum sit dualis necne, quaeritur. Fritzschius confert ad h. l. Cic. epist. ad fam. 14, 14 ‚vos, meae carissimae animae'. Sed singularis quoque ferri potest: quo probato evitabimus formam dualis primae declinationis, inusitatam apud Theocritum. Denique v. 17 τώδε.

Cetera exempla pluralem ostendunt, ut v. 6 ἐμὰ βρέφεα, v. 7 τέκνα, v. 13 αἰνὰ πελώρια δύο, v. 20 παίδων. Membrorum paria tantum hoc numero expressa sunt: v. 36 πόδεσσιν, v. 54 χείρεσσιν, v. 73 ὄσσων, v. 107 legitur ἄμφω χεῖρας. Adjectiva et participia utique in plurali sunt posita.

2. Dualis in conjugatione

nullus invenitur, sed v. 6 scripsit Theocritus εὕδετε, v. 9 εὐνάζοισθε, v. 17 ἐκύλιον.

Sequuntur Jd. XVI et XVII, laus illa Hieronis, haec Ptolemaei: quae permulta habent Dorice expressa. Carent autem omnino duali, nisi quod XVII, 26 exstat ἄμφω, de quo v. pag. 51. Legimus hos plurales: οἱ δέ v. 32 ib., v. 65 χείρεσσι φίλησι, XVI, 32 χεῖρας, v. 8 γυμνοῖς ποσί.

Jam data est facultas adeundi ad ipsa idyllia Dorice scripta, quae ad nostram quidem quaestionem faciunt plurimum. Atque horum ea quae genuina esse nemo est qui neget,

primum videamus: Id. I—XI, XIII—XV, XVIII (Helenae epithalamium, quamquam id quidem epicis formis est permixtum), XXVI.

1. Dualis in declinatione.

Nominum duales reperiuntur πυῤῥοτρίχω VIII, 3, et ib. ἐνάβω, v. 4 δεδαγμένω; forma pronominalis τώ γ'— ib. v. 3. Ergo uno loco usurpatus est numerus dualis. Quod contra δύο utique conjungitur cum plurali: δύ' ἐρίφως I, 26, ib. ἐς δύο πέλλας; v. 48 δύ' ἀλώπεκες; VII, 71 δύο ποιμένες; XIV, 14 δύο νεοσσώς; ib. v. 45 δύο μῆνες; VII, 4 δύο τέκνα; XIII, 38 οἳ — ἄμφω ἑταῖροι, ubi eodem modo ἄμφω legitur conjunctum cum plurali. Adnumero plurales positos pro dualibus hos: I, 33 scripsit poëta de duobus viris certantibus ἄνδρες νεικείουσι, neque tamen indicat de duali numero hic agi, quem posci docet sententia. Id. VIII de bucolicis in certamen inter se vocantibus bis est οἱ μὲν παῖδες, v. 28 et v. 61; XV, 88 δύστανοι ἀνάνυτα κωτίλλοισαι τρυγόνες, petuntur Gorgo et Praxinoa.

Membra corporis tantum in plurali leguntur: I, 88 ὀφθαλμώς, III, 44 ἐν ἀγκώναισι, IV, 7 ἐν ὀφθαλμοῖσι, VII, 16 ὤμοισι, v. 107 ὑπὸ πλευράς τε καὶ ὤμους, v. 153 ποσσί, X, 36 οἱ μὲν πόδες τευς, XIII, 17 ᾇ πόδες ἆγον, idem XIV, 43, XXVI, 13 ποσίν, XI, 70 τὼς πόδας ἀμφοτέρως.

Idem statuendum est de adjectivis et participiis: VI, 46 ἀνήσσατοι, II, 27 ἰόντας, IX, 3 ὑφέντες, XV, 22 θασόμεναι. Nec minus de pronominibus: V, 25 ἁμίν, v. 61 ἄμμε, v. 67 ἄμμες, VII, 2 ἁμίν, 126 ἄμμιν, VIII, 13 ἁμίν et ἄμμε, v. 25 ἁμέων, XV, 89 ἄμμιν, v. 68 ἁμῶν, v. 75 ἄμμε, v. 76 ἆμιν; XVIII, 50 ὔμμιν; adde ἀλλάλων, XIV, 46 et VIII, 50; οἵ XIII, 38 de Hercule et Telamone.

Satis perspicuum est Theocritum in idylliis Doricis consilio evitasse dualem; nosse eum hunc numerum non solum ex epicis carminibus elucet, sed praeclarius ex loco illo Id. XVIII, quem nunc accuratius contemplemur. Illo poëmate admodum dulci et Musa Theocritea dignissimo Daphnidis et Menalcae certamen celebratur et introdicuntur adolescentes hisce versibus:

Δάφνιδι τῷ χαρίεντι συνήντετο βουκολέοντι
μᾶλα νέμων, ὡς φαντί, κατ' ὤρεα μακρὰ Μενάλκας·
ἄμφω τώ γ' ἤστην πυῤῥοτρίχω, ἄμφω ἀνάβω,
ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδεν.

Summam efficiunt dulcedinem dualis formae: Daphnis et Menalcas, alter boum pastor, alter gregis, sibi fiunt obviam — et ambo una imagine complectitur poëta. ἄμφω τώ γ' — etc. Nam juvenum par prima maturitate florentium dualibus praeclarissime expressum ante oculos nobis versatur. Qui pulcherrimus concentus ne turbetur, sequuntur altero in versu duales ἄμφω — δεδαημένω, qui ad hanc objectivam, ut ita dicam, picturam nihil pertinent.

2. Dualis in conjugatione.

Excepta forma ἤστην, cujus causam modo attuli, quippe quae augeat dualium vim, semper occurrit pluralis: Id. I, 33 νεικείουσι, VI, 46 ἐγένοντο, VII, 71 δύο ποιμένες αὐλησεῦντι, VIII, 28 ἄϋσαν et v. 61 ἄειδον, XI, 38 ἄμφω δαίνυντο, XVIII, 54 εὕδετ' —, ib. v. 56 ἐπιλάθησθε.

Pergimus ad ea idyllia, quae Theocriti nomini ascripta spuria habenda esse videntur: Id XIX—XXI, XXIII, XXVII — omnia Dorico sermone composita. Exstant complures formae dualis: Id. XX, 12 τὼ πόδε, XXI, 9 ταῖν χεροῖν, ib. v. 48 τὼ χέρε, ib. v. 8 αὐτοῖν.

Dualis locum pluralis obtinet in hisce exemplis: a) Id. XIX, 2 χερῶν, XX, 9 χείλεα et χέρες, v. 13 χείλεσι et ὄμμασι, v. 24 ὀφρύσι, v. 35 ὄμματα, XXI, 20 βλεφάρων, XXIII, 5 χερσί, v. 8 ὄσσων, v. 41 χείλεα, cf. XXVII, 6; b) Id. XXI, 6 δύο ἀγρευτῆρες, v. 6 de iisdem τήνοις, XXVII, 42 ἐξ εὐγενέων, agitur de Daphnidis parentibus, et v. 66 οἱ δ' ἰαινόμενοι ἀλλήλοις ψιθύριζον.

Verbi utique legi pluralem, ut Id. XXI, 6 ὁμῶς κεῖντο sc. δύο ἀγρευτῆρες.

Atque inter illas quidem formas dualis τὼ πόδε non sine vi usurpatus est: ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼ πόδε συνεχὲς εἶδε. At in Id. XXI, 9 τὰ ταῖν χεροῖν ἀθλήματα usus dualis est levissimus. Nam τὰ ταῖν χεροῖν ἀθλήματα par est „manuum

laboribus' vel ,utensilibus' sc. piscatoriis. Quamquam temere interpositus est hic dualis, tamen cum Ahrensio delere, qui in textum receperit τὰ τᾶς θήρας, jam dubito. Puto enim ex ipsa hac re nos posse cognoscere, quam mediocris poëta hoc carmen panxerit. Adamasse eum dualem elucet ex αὐτοῖν et τὼ χέρε.

Finem facimus singula Theocritea et Pseudotheocritea perscrutando. Optimo jure nos distinxisse carmina mere epica et mitius leges epicas observantia et idyllia Dorica re probatum est. Namque in iis carminibus, quae Doricam ostendunt dialectum, dualis prorsus evitatus est, excepto uno loco, ubi poëtae illius numeri usus orationis dulcedinem admodum augere videbatur. Atque si respicias eodem modo carminibus plerisque, quae sint binorum colloquia agrestium juvenum, maximo decori hunc numerum esse potuisse, luce clarius est Theocritum eo ideo non esse usum, quia in ea dialecto, quam sequeretur, jam perierit. Deinde epica Theocriti carmina inter se sunt disjungenda: ea quae permixta sunt Doricis formis, minus admittunt dualem, saepissime, quae prorsus vetustorum epicorum rationem sequuntur,[1]) eumque et nominum et verborum. Attamen jam alienus est ab iis nominibus, a quibus olim in linguae originibus est exortus, quaeque membra corporis bina significant: ubicunque horum dualis invenitur, obriguerat jam apud ipsos epicos, de quibus est petitus.

Nunc aggredior ad reliquos poëtas bucolicos, Bionem et Moschum, quaeque carmina auctorum carent nominibus. De his est judicandum Bionem et Moschum dualem non habere, nisi quod Moschus in epica carmina inseruerit formas duales epico usu tritas. In ,Megara', quae errore Moscho est tributa, una participii forma legitur, quae metri ratione habita videtur scripta esse ab eo, qui composuit carmen.

---

[1]) Formas duales ex Homeri carminibus derivare incassum coneris: nam longe maximum enumeratarum numerum non invenies apud Homerum.

Sed singulos pervestigemus locos.

Bion in Id. XVII, 8 [1]) in colloquio Cleodami et Mysonis ἄμμιν praebet. Idem invenimus de membris: Id. I, 10 ἐπ' ὀφρύσι et ὄμματα, v. 24 χειρῶν et οἱ μαζοί, v. 38 πάχεις, v. 40 χείλεα χείλεσι, v. 79 πτερύγεσσι. Ceterum in Epithalamio Achillis, Inc. VI, spurio illo quidem, exstat v. 19 χιονέαις παρῇσι: v. 29 αἱ δύο συνομάλικες, αἱ δύο καλαί.

Moschus tractetur a nobis ita, ut carmina epica inspiciamus, priusquam ad Dorica transitus fiat.

a. In Id. I, ‚Europa', complures dualis formae perhibentur. v. 93 πρὸ ποδοῖϊν, quod iterum v. 116 legitur, et v. 86 ὄσσε. Utraque forma revocata est ex epicorum memoria. Pluralis reperitur: v. 93 ποδῶν, v. 46 πόδεσσιν, v. 33 ἐν χερσίν, v. 50 χερσί, v. 70 χείρεσσι, v. 95 χείρεσιν, v. 112 χεῖρες, v. 3 βλεφάροισιν, v. 4 φάεα, i. e. oculi, v. 13 παλάμῃσι, v. 19 ὄμμασιν, v. 59 πτερύγων, v. 87 κέρα; porro v. 4 δοιὰς ἠπείρους et v. 18 ἀμφοτέρας γυναῖκας. Denique legitur v. 10 τῶν de iisdem mulieribus; v. 87 ἐπ' ἀλλήλοισιν de cornibus.

Non aliter statuendum est de conjugatione, ut v. 9 reperimus ἔχον. Memorabilis est versus 86 ὄσσε γλαύσσεσκε et ἀστράπτεσκε, cf. pag. 11.

b. In idylliis Doricis dualis nullum inest vestigium, sed v. 7 ὄμματα δριμύλα καὶ φλογόεντα, v. 13 τὰ χερύδρια, v. 27 τὰ χείλεα legitur.

Huc accedit carmen illud inscriptum ‚Megara', quod Moschi nomen prae se fert, Id. VIII. Quod quamquam epicas observat leges, tamen vacuum est duali, si exceperis κλαύσαντε v. 32, ubi ipsum subjectum plurali expressum est: τοκῆες, et sane videtur haec forma metro poscente esse posita. Praeterea inest ἄμφω v. 63. Verum v. 7 habes:

τί νύ μ' ὧδε κακῇ γονέες τέκον αἴσῃ;

v. 54 πάντων γὰρ ὀϊζυρώτατα τέκνα, sc. Hercules et Iphicles; de iisdem v. 93 τέκνοις et v. 120 ἀμηχανέοντας παῖδας ἐμούς; v. 58 ὧν τοκέων. Membrorum paria occurrunt: v. 9 φαέεσσιν ἐμοῖς, v. 17 ἐμοῖς ὀφθαλμοῖσιν, v. 28 πόδεσσιν, v. 41 ὀφθαλμοῖσι,

---

[1]) Ed. L. Ahrens, Buc. Gr., Theocriti, Bionis, Moschi reliquiae.

v. 56 μήλων, v. 57 βλεφάρων, v. 108 ὄμμασι, v. 121 ὀφθαλμῶν; v. 94 χερσὶν ἀμφοτέρῃσιν. Verborum non nisi pluralis exstat, cf. v. 7.

Reliquum est, ut commemoremus Bionis Epitaphium, Dorica compositum dialecto, Id. inc. I. In quo legitur v. 76 ἀμφότεροι παγαῖς πεφιλήμενοι; χείλεα v. 31, 50, 64, cf. v. 117.

5. Callimachus.

Paucis complectamur Callimachi hymnos V et VI, quos induit dialecto Dorica, quaeque praeterea exstant epigrammata et fragmenta Dorica. Apparet omnibus collatis exemplis Callimachum, qui in caeteris carminibus dualem non repudiaverit, cf. ἄνδρε fragm. 234,[1]) τώδ' ἐβοάτην An. 352 ἀναδραμέτην An. 97, in poëmatis Doricis hunc numerum prorsus evitasse. Namque V, 73 de Minerva et Charticlone est ἀμφότεραι λώοντο, VI, 48 τοκεῦσι, v. 73 πέμπον αἰδόμενοι γονέες, v. 95 αἱ δύ' ἀδελφεαί. Idem de corporis partium paribus perspicitur: V, 127 πόδας, id. VI, 10, VI, 77 χεῖρας, v. 102 ἐμαὶ χέρες ἐκτερίξαν, V, 5 πάχεις, v. 80 ὀφθαλμώς, VI, 103 ἐν ὀφθαλμοῖσιν, V, 82 et 87 ὄμματα, v. 92 φάεα, v. 75 γένεια, v. 84 γώνατα. Ex epigr. 47, 9 addo αἱ ἐπῳδαὶ ἀμφότεραι, et ex Dub. 1 ἐπὶ γούνων.

6. Poëtae scenici Attici.

Jam non omittendae videntur eae fabularum Graecarum partes, quae Dorice compositae sunt, chororum cantica. Pertinet autem haec quaestio non tam ad comicos, etsi Aristophanes quoque Doricas choris inseruit formas, quam ad tragoediarum scriptores. Nec vero dualis leges in choris scenici alias atque in dialogis observaverunt, id quod paucis expedire licet.

1. Dualis in declinatione nominum.

a. Membrorum paria duali expressa sunt haec: χεροῖν gen. Aesch. Sept. 855, Choëph. 362, Soph. Ai. 618, Phil. 1150, dat. Soph. O. C. 1699, Ant. 1345, El. 206, 476, Eur.

---

[1]) Ed. O. Schneider, Callimachea.

El. 1160, Med. 981, Or. 1458, 1477, 1493: χεροῖν gen. Eur. Jon 1493, dat. Soph. El. 1394; ποδοῖν dat. Soph. Ai. 247, Eur. Iph. Aul. 206, 212, Jon 495; ὄσσε Aesch. Pers. 1065, Eur. Troad. 1315. Cum aliis in locis pluralem legamus, eadem conditio est dialogorum: ubi dualitas peculiarem vim habet, dualem invenis, sin minus, pluralem, cf. Bieber l. l. pag. 34 et 46.

b. Ceterorum substantivorum duales reperi hos: Aesch. Sept. 920 τοῖνδε δυοῖν ἀνάκτοιν, Choëph. 944 δυοῖν μιαστόροιν: Soph. O. C. 31 παῖδε, δύο δ' ἄτα, v. 684 μεγάλαιν θεαῖν: Eur. Andr. 476 τεκτόνοιν ὕμνοιν ἐργάταιν δυοῖν, Hec. 943 τοῖν Διοσκόροιν, Hel. 1500 σωτῆρε, Iph. Aul. 192 δύ' Αἴαντε συνέδρω, Iph. Taur. 888 δυοῖν τοῖν μόνοιν Ἀτρείδαιν, Troad. 817 δυοῖν πιτύλοιν.

c. Adjectivorum praeter eas formas, quas modo commemoravimus: Soph. O. C. 1672 δυσμόροιν, 1692 διδύμα ἀρίστα: Eur. Alc. 470 σχετλίω. Accedunt vocis δύο formae nom. masc. Eur. Or. 1401, fem. Soph. O. C. 530, Eur. Herc. Fur. 798, Jon 466; acc. neutr. Soph. El. 1087; δυοῖν Aesch. Sept. 960, Eur. Suppl. 1157, Med. 1289; διδύμω legitur Eur. Or. 1401, διδύμαιν Soph. El. 206; ἄμφω Eur. Or. 1415, Arist. Av. 347: ἀμφοῖν Soph. Trach. 522, Eur. Suppl. 820.

d. Pronominales formae hae insunt: νῷν Soph. O. C. 1670, 1683, Eur. Hec. 164; σφῷν Soph. O. C. 1740; ὥτινε ib. v. 1673: τώδ' Arist. Av. 351, τοῖνδε Aesch. Sept. 920.

e. Participia: Soph. O. C. 1676 ἰδόντε καὶ παθόντε, Eur. Alc. 471 ἔχοντε, Or. 1492 δραμόντε, Arist. Av. 351 ἀποφυγόντε.

Quod formis enumeratis magna pluralium multitudo obstat, nullius momenti est: idem statuit de dialogis Bieber exemplaque praebet permulta.

2. Dualis in conjugatione verborum.

Formas duales reperi hasce: Aesch. Sept. 924 ἐρξάτην, Soph. O. C. 219 μέλλετον, 1695 φλέγεσθον, 1696 ἔβητον, 1746 ἐλαχέτην, Eur. Phoen. 1299 αἱμάξετον et 1301 ἐλθέτην.

Quae protulimus, satis docent tragicos dualem, quamvis Doricae dialecto inusitatum, in choris minime fugisse.

Videtur necessarium esse eos quoque tractare poëtas, qui Doridis formis linguam epicam commiscuerunt, Hesiodum et Empedoclem. Attamen ille jam a Biebero l. l. pervestigatus est: colligas locos inde a pag. 34 usque ad pag. 55, qui firmiter testantur Hesiodum formas duales nullo modo evitasse; tamen longe plurimas reperiri in Scuto Herculis: quod quicunque composuit, is Hesiodo uberius epicas dualis leges secutus est.

7. Empedocles.

Empedoclis Agrigentini quae supersunt, quamquam paene ubique duali carent, tamen uno loco praebent participiorum eas formas: δεδαῶτε, μίξαντε, κτίζοντε. Itaque praemittimus locos, ubi respuit Empedocles hunc numerum. Ac primum quidem membrorum paria haec insunt: v. 14 περὶ χείλεσι, v. 218 ὄμματ'—, v. 305 ἐν παλάμῃσιν, v. 389 ὀφθαλμοῖσιν-χερσίν, v. 394 πόδες. Porro legitur v. 335 δοιῶν ἐξ ἄρθρων, v. 393 δύο κλάδοι, v. 146 τούτων ἀμφοτέρων, v. 212 τὰ δύο.

Restat, ut disputemus de versibus 134 sq., ed. Mullach, ‚Fragmenta philosophorum Graecorum‘:

ὡς δ' ὁπόταν γραφέες ἀναθήματα ποικίλλωσιν,
ἀνέρες ἀμφὶ τέχνης ὑπὸ μήτιος εὖ δεδαῶτε,
οἵτ' ἐπεὶ οὖν μάρψωσι πολύχροα φάρμακα χερσίν,
ἁρμονίῃ μίξαντε τὰ μὲν πλέω, ἄλλα δ' ἐλάσσω,
ἐκ τῶν εἴδεα πᾶσιν ἀλίγκια πυρσύνουσιν.

Videmus igitur substantivorum et verborum plurales, participiorum duales, id quod aliis nimis displicuit, ut praeferrent Aldus δεδαῶτες, Scaliger μίξαντο, Karsten μάξαντε, Scaliger et Karsten κτίζουσι in versu sequenti. Sed cum libri tueantur δεδαῶτε, neque μιξαν τε corrigere possimus nisi in μίξαντε, etiam κτίζοντε restituendum est. At possuntne omnino ferri hi duales? Mullachius certe censet h. l. dualem positum esse ‚pro plurali‘. Minime. Sententia enim haec est: Empedocles ut demonstret omnia animantia ex una origine esse exorta, adhibet imaginem, pictores posse vario eorundem colorum usu quamvis rem exprimere. Atque aptus videtur esse dualis, quia veteribus temporibus binis artificibus fere solebant attribui artificia singula.

Transeamus nunc ad prosae orationis scriptores Doricos.

8. Philosophi Pythagorei.

Pertinet haec quaestio ad disputationes Timaei, Philolai, Archytae: omitto enim Ocelli Lucani ‚περὶ τοῦ παντὸς φύσεως' librum, quippe qui dialecto quae dicitur κοινή, sit compositus. Timaei vero Locrensis ‚περὶ ψυχᾶς κόσμω καὶ φύσιος' libellum verae commentationis retractationem esse, fortassis epitomen pro certo habetur: nihilo minus huc vocare licet, quia exhibet dialectum Doricam. Similis fere hujus conditio est fragmentorum Philolai et Archytae Tarentini.

1. Dualis in declinatione.

Substantivorum dualem frustra in his fragmentis quaesiveris. Substantivorum plurales conjunctos cum δύο infra notabimus, nunc videamus illos locos, ubi dualitatis ne signum quidem ascriptum sit nomini: Tim. pag. 38 B [1]) κρέσσονα γὰρ τάδε, sc. anima et ratio; Phil. pag. 3 A καὶ τούτων sc. aquae et ignis; Archyt. pag. 554 B μεταξὺ τούτων refertur ad εὐτυχία et ἀτυχία, eodem ib. ἐκ τούτων; pag. 574 B τούτων ἕκαστον pertinet ad ψυχήν et σῶμα. Addo participium apud Tim., pag. 46 A ἀποκαθαράμεναι sc. ἁ σύνεσις καὶ ἁ φιλοσοφία.

2. Dualis in conjugatione

exempla insunt in Timaei ‚de anima mundi' libro. Legitur enim pag. 38 B ἤστην et paulo post ἐστόν. Dualis loco pluralis positus est apud Tim. pag. 40 B δύο . . . ἐντί et pag. 46 ἀνέθηκαν, Archyt. pag. 552 B δύο δὲ ὁδοὶ τέμνονται, pag. 567 B δύο ἀρχαὶ τυγχάνοντι. Quidnam igitur judicemus de illis formis dualibus? Facillimum est rem expedire, si meminerimus saepissime nobis occurrere in Timaei commentatione formas Ionicas; scripta enim est ‚exstincta jam veterum dialectorum sinceritate' (Mullach II, pag. XXV). Hinc apparet, quomodo irrepserint duales in hunc Doricum sermonem respuentem omnino illum numerum.

---

[1]) Ed. Mullach l. l., — cf. Matthaei, de dial. Pythagor., Gotting. a. 1879.

9. Epistolographi Dorici.

Enumero locos, ubi dualis partes pluralis agit: Ep. Lysidis § 4 (ed. Hercher), τὰς ματέρας ἀκρασίαν τε καὶ πλεονεξίαν, ἄμφω δὲ πολύγονοι πεφύκαντι; ib. § 7 ἀμεῖς δὲ ἄνδρες ἐόντες; Ep. XI, τὰ μὲν (i. e. ὄψεις καὶ χρήματα) φθόνος καὶ νοῦσος παραιρέεται, τὰ δὲ (sc. ψυχᾶς κάλλος καὶ πλοῦτος) μεχρὶ θανάτω πάρεντι ἐντεταμένα.

10. Archimedes.

Spectabit quaestio ad libros Dorice scriptos ‚de Conoidibus et Sphaeroidibus', [1]) ‚de Aequiponderantibus', ‚de Quadratura Paraboles', ‚de Spiralibus', ‚Arenarium', ‚de Insidentibus humido'.

Quoniam de formis δύο et ἄμφω capite peculiari est agendum, satis erit h. l. declarasse ne unum quidem dualis exemplum in Archimedis scriptis, quae enumeraverimus, inveniri. Quod contra non solum legitur ἐπιπέδοις ἐόντεσσι Con. 288, 16, τῶν ἐπιπέδων ib. 364, 19 et saepius, ἐπιπέδοις 404, 14 et 410, 12, τὸ ἕτερον τῶν βαρέων, Aequip. A. Pet. III et saepius, sed etiam juxta δύο ejusque formas reperitur utique pluralis: cujus rei exempla sunt sexcenta. Idem valet de verbi plurali posito pro duali.

Haec hactenus. Quoniam exempla cuncta quae comparare potuimus, in medium protulimus, demonstravisse nobis videmur re vera dualem numerum dialecto Doricae jam priscis temporibus intermortuum esse: quo modo a poëtis Doricis sit conservatus et in ipsorum usum conversus, accuratissime inquirendum esse censuimus.

---

[1]) Hunc librum jam licet laudare ex libro: ‚Archimedis opera omnia, Vol. I, ed. Heiberg, a. 1880', — reliquos hausi ex edit. Rivalti, Arenarium ex ‚Heiberg, Quaest. Archimed., a. 1879'.

III.

De iis dialectis, quae cognatione quadam cum Aeolica et Dorica sunt conjunctae.

Jam licet transire ad eas dialectos, quae cum Aeolica et Dorica cognationis quodam vinculo junctae sunt.

Ac Thessalicam quidem dialectum paucis absolvimus: nihil exstat in titulis (fontes vide apud von der Pfordten, ‚De dialecto Thessalica‘, Monachii a. 1879, pag. 1 sq.; nuper titulos edidit Fick in l. ‚Beiträge zur Kunde cet., ed. Bezzenberger‘, a. 1880, pag. 325 sq.), quod pertineat ad nostram quaestionem.

Hujus similis est conditio dialecti Eleae: ex iis titulis, qui publici juris facti sunt in Corp. Inscr. Gr. et in ‚Archäologische Zeitung‘, a. 1876, 77, 78 passim, unicus locus est in tit., ed. in ‚Arch. Zeitung‘, a. 1877, pag. 128: ταῖς πόλεσι ποθ' αὐτὰς, quod dictum est de duabus urbibus. At hic titulus est aetatis Romanae.

Paullo plura testimonia sunt in titulis dialecti Arcadicae, editis in Corpore Inscr. Gr., a Michaëlis, ‚Jahrbücher für Philologie‘, Vol. 83, pag. 585 sq., Foucart, Mémoires présentés à l'Académie des Inscriptions, Vol. VIII, part. 2, pag. 93 sq., Sauppe, ‚de titulis Tegeaticis‘, Ind. lect. Gott. 1876; addo titulos Cypricos apud Cauer, Delectus, 118 et Deecke in ‚Beiträge zur Kunde cet., ed. Bezzenberger‘, a. 1881, pag. 66 sq.

In titulo, ed. Michaëlis l. l., legitur δύο ἔργα; in tit. C. J. 1536 c inest τοῖς δὲ Σωτ[ῆρσι?, vel ut rectius legimus cum Keilio, ‚Analecta onomatolog. et epigr.‘ a. 1842, Σωτηρίοις. Tamen ne de hac quidem dialecto certi quicquam potest declarari.

Quae cum ita sint, transgrediamur ad eam dialectum, cujus fontes ad hanc quaestionem nonnihil suppeditant, Boeoticam.

Jam in iis perpaucis quae supersunt ex literis Boeoticis, legitur forma dualis. Namque apud Bergk, Poët. lyr. Gr., pag. 1207 frgm. 5 attribuitur Corinnae ab Apollonio de pron. 373 B forma pronominalis νῶε.

Atque dualem Boeotis non defuisse tituli firmiter testantur. Quorum fontes enumerat Führer, ‚de dial. Boeot., Gott. 1876‘, pag. 1 sq. Nuperrime collegit titulos Boeoticos Meister in ‚Beiträge zur Kunde cet. ed. Bezzenberger‘, V, inde a pag. 185 et VI, pag. 1 sq.

Ac primum quidem C. J. tit. 25, bonae ille quidem aetatis, habet: —ιόθαλος ὁ Πιλα — Βοιώτιος: ἐξ Ἐρχομενοῦ· Ὑπατόδωρος: Ἀριστογείτων ἐποησάταν: Θηβαίω. Quam inscriptionem, licet Delphis sit inventa, tamen Thebis esse vindicandam elucet (cf. Führer, l. l. pag. 3 et pag. 28). Itaque dualis formas et nominis et verbi intelligimus viguisse. Alteram formam verbalem tradit tit. 1580: ἀνεθέταν, Denique de δύο et δυοῖν infra disserendi erit facultas.

Tamen longe plerumque dualem plurali cedere jam coactum fuisse videmus. Ut δύο legitur utique conjunctum cum plurali. Atque in ipso titulo C. J. 1580 participia χοραγείσαντες et νικάσαντες exstant; eadem in tit. 1579, ubi pluralis quoque ἀνέθειχαν. Porro tituli tertii a. Ch. n. saeculi, ed. a Decharme in ‚Archives des missions cet.‘, II[de] série, t. IV, pag. 483, 1 et 2 habent ἱαραρχόντων de binis magistratibus. Apud Keil, ‚Jahrbücher für Philologie‘, Supplementband 4, pag. 595, legimus Δημοσθένει καὶ Κράτωνι ἥρωσι, et pag. 611 ἐξ ἄστων ἑκατέρων; τοῖς Διοσκούροις invenitur in tit., ed. in ‚Ἀθήναιον‘, 1875, pag. 291, ib. 1 αὔτως de duobus.

Plurales verborum positos dualium loco adnotamus hos: Decharme l. l. 7, Ἀριστοτέλεις ὀπατεὶρ Πουθογίτ[ων] μάγει[ρος ἐ] θοίν[η]ξαν; Ulrichs, ‚Reisen in Griechenland‘, II, pag. 127 III, Δαμαίνετος καὶ Κοσμία ἀπέδοντο. Quamquam haec infima exempla ex aetate Romana sunt deprompta.

De vocabulo ΔΥΟ.

Jam supra commemoravimus δύο paene solam esse formam, quae apud Aeoles Doresque terminationem retinuerit dualem. Atque de ipso hoc vocabulo ejusque usu disputare nunc juvat. Itaque praemitto ‚de voc. δύο usu Homerico Hesiodeoque et Attico' libellum edidisse Fr. Zanderum. Regimont. Bor. a. 1834. De genetivo et dativo ejusdem vocis egit Bieber l. l. inde a pag. 23. Et disseruit Zander quidem de formarum δύο et δύω discrimine: quarum antiquiorem rectissime judicat δύω (pag. 20). At quae de utriusque usu Homerico Hesiodeoque profert (cf. pag. 35 sq.): certas quasdam leges reperiri, quae secundum destinationem generumque nominum appositorum varietatem modo hanc modo illam reposcant, suo quidem jure refutat Bieber l. l. pag. 23: ‚Et profecto δύω et δύο plane eadem sunt, δύω — prius fuit, non autem obsoletum; quo uti potuit poëta, quotiescunque versus longam syllabam postulabat". Apud Atticos scriptores temporum decursu paullatim δύω rarescere dilucide Zander explanavit, cf. pag. 55. Bieber cum pag. 23 adnotet δυοῖν apud Homerum nusquam legi, tamen nullo modo demonstrat verum esse, quod vult, δύο principio non flexum fuisse. Tragicos pro forma δυοῖν praeferre δισσῶν et similia exemplorum copia confirmavit: contra Aristophanes scriptoresque prosaici has voces evitant. Idem Bieber de forma δυεῖν pag. 31 bene sic judicat: ‚Forma sensim in consuetudinem venisse et solutae orationis scriptoribus grata fuisse videtur".

Quae quoniam breviter praemonuimus, revertamur ad dialectos Aeolicas Doricasque.

1. Ac primum quidem apud poëtas Aeolicos bis legitur δύο, nom. neutr. Sapph. 36, acc. masc. Alc. 41, 4. Lectio Bergkiana Sapph. 37 δυσὶ πάχεσι conjectura non ita probabilis est. In titulis non legitur, nisi quod in tit. C. J. 2167 c) Boeckhius supplet εἰς στήλας δ[ύο].

2. Transimus ad dialectum Doricam.

Ac primum quidem contemplantibus titulos Doridis Peloponnesiacae coloniarumque δύο occurrit nom.

masc. in tit., ed. Le Bas, Voy. II, 326a δύο κλακτοί, neutr. ib. τὰ δὲ δύο μέρη; acc. masc. in tit. Cretensi, ed. Naber in ‚Mnemosyne I' pag. 75 sq. lin. 71 τριήρεις δύο, Le Bas l. l., ἄρνας δύο λευκούς, fem. in tit. Cretensi modo laudato δραχμὰς δύο, neutr. C. J. 1845, 3 ἔτη δύο. Porro δύο est genetivus in tit. Andaniensi, ed. Le Bas, Voy. II, 326a δύο μνᾶν, in tit. Therensi, ed. Ross in ‚Archäol. Aufsätze', II, 423 ἐγ δύο μεδίμνων; C. J. 1845, 3 δύο δραχμᾶν, tit. 1186 habet δύ' ἀνδρῶν, qui est aetatis Romanae. Δύο vocis casus pluraliter terminati leguntur: δυῶν ἀλφίτων in tit. Spart., ed. in ‚Ἀθήναιον a. 1872'; δυσί saepius in inscriptione Rhodia satis vetusta C. J. tit. 2525: χρυσέοις στεφάνοις δυσί et ἀτελείαις δυσί. Restat, ut quaeramus, quid sit δύε καὶ τριάκοντα, quod est in tit. C. J. 1511 — qui titulus, quamquam Boeckhius inscribit Tegeaticum, cum Ahrensio, ‚de dial. Dor.', pag. 8, dialecto Doricae est vindicandus. Boeckhius ipse adnotat: ‚δύε sitne verum an in δύο mutandum nescio'. Quod cum de tali vocis δύο corruptela nihil constet, lapicidae errori attribuendam esse putaverim.

Accedamus ad dialectum Delphicam. Legitur δύο nom. masc. in titulo vetustiore, ed. in ‚Annali a. 1866', pag. 1 ψᾶφοι δύο; acc. masc. C. J. 1690 ὀδελὸς δύο, ib. στατῆρας δύο, fem. in tit., ed. a Wescher et Foucart, l. supra l., 279 τὰς δύο, neutr. Curtius, ‚Anecdot. Delph.', tit. 26 ἀνδρεῖα σώματα δύο, et idem in titulis, quos ediderunt Wescher et Foucart l. l., passim, ib. 277 κοιρίδια δύο, in tit., ed. in ‚Annali a. 1861', 5 παιδάρια δύο, Wescher et Foucart 279 ἔτη δύο. Genetivi vice fungitur δύο saepissime. Vicies ter in titulis ed. a Wescher et Foucart l. l. legitur μνᾶν δύο et δύο μνᾶν duodevicies; δύο δραχμᾶν inest in titulo Phocensi, ed. Leake l. l. 100. Semel inveni ut genetivum, δύω, in tit., ed. Le Bas, Voy. III, 944. Ter apud Wescher et Foucart habemus genetivum δυῶν sc. μνᾶν. Quod scriptum est in tit. 11, ed. Wescher et Foucart, μνᾶν δύιο, non dubito, quin e δύο corruptum sit.

Denique videamus titulos Siculos et Magnae Graeciae. Δύο est nom. neutr. in tit. C. J. 5491 χαλκώματα δύο; acc. masc. in tabula Heracleensi I, 63 μεσσόρως δύο, 77 δύο ἀπέχοντας, fem. ib. 123 et 171 δύο μνᾶς, neutr. C. J. 5640 δύο τάλαντα.

Genet. legimus δυῶν in tab. Heracl. I, 139 νίκατι καὶ δυῶν ποδῶν, II, 21 ἐκ τῶν δυῶν et saepius.

Lyrici poëtae praeter Pindarum hanc vocem non habent. Itaque tota quaestio est de Pindaro. Legimus δύο nom. masc. Ol. VII, 45, VIII, 38, XIII, 32, fem. Ol. VI, 101, IX, 86 (ubi est δύ'), Pyth. II, 30, VII, 14, neutr. Nem. V, 12 et σύνδυο Pyth. III, 81; acc. Isthm. V, 12; genetivus δυοῖν exstat Nem. VIII, 48.

Haec sunt quae inveniantur apud Pindarum. Iam Bieber l. l. pag. 30 sic judicat: „Vocabulum ΔΥΟ, ut vidimus, apud Homerum nec non apud lyricos principio non flectebatur, qua re aut eadem forma δύο cum gen. et dat. conjungebatur aut alia verba, e. g. διδύμων, δισσῶν etc. reponebantur.“ Quae exempla ipse fusius auget pag. 34, ubi horum verborum usum enumerat. Quod judicium quatenus pertineat ad Pindarum, perversum esse exemplis comprobare non ita difficile est. Necesse igitur est accurate inquiramus in unumquemque locum, ubi legimus δοιοί aut δισσοί aut δίδυμος. Quodsi ab vocabulo

a. δοιοί initium capimus, dubitare non possumus, quin insit mera notio numeralis. Nec vero fit umquam, ut fungatur vice genetivi aut dativi, sed duo loci qui occurrant, sunt: Pyth. IV, 122 δοιοὶ δὲ ὑψίχαιται ἀνέρες; advenerant jam tres Jovis filii, cum hi duo Neptuni filii nautarum numerum auxerunt. Et Nem. I, 144 δισσαῖσι δοιοὺς αὐχένων μάρψαις ἀφύκτοις χερσὶν ἑαῖς ὄφιας, i. e. non unum, quin etiam duos serpentes corripit Hercules.

b. δισσοί loco modo commemorato pro duali fungi elucet: δισσαῖσι χερσίν est ‚ambabus manibus‘. Porro Nem. VIII, 16 δισσῶν σταδίων est ‚stadii bis decursi‘, δισσῶν duplicat.

c. δίδυμος. Ol. III, 35 διδύμοις παισὶ Λήδας demonstrat δίδυμος a Pindaro ita usurpari, ut dualis officium expleat; Pyth. II, 9 διδύμᾳ χερί jam pag. 22 sq. tractavimus; IV, 39 αἰχμαῖσι διδύμαις est ‚Lanzenpaar‘, ut Homerus saepissime habet δύο δοῦρε; ib. v. 178 διδύμους υἱούς demittit Mercurius, i. e. ‚filiorum par‘; eadem dualis vis inest in iis quae sequuntur, δίδυμαι ἔσαν ζωαί sc. Symplegades;

IX, 86 διδύμων σθένος υἱῶν peperit Alcumena, i. e. geminos filios; Nem. IX, 4 διδύμοις παίδεσσιν, i. e. Latoidis; Isthm. VIII, 17 δίδυμαι θύγατρες sunt geminae Asopi filiae, Aegina et Theba. Contra in his tribus locis δίδυμος nihil fere aliud esse ac δύο videtur: Pyth. III, 72 διδύμας χάριτας, i. e. duo gaudia, non unum, sc. ὑγίεια et κῶμος ἀέθλων; Nem. VI, 57 δίδυμον ἄχθος est ,duo officia', sc. et celebrandi Bassides et Aeacides; Isthm. III, 9 διδύμων ἀέθλων significat ,duo praemia'.

Exempla quae attulimus, ostendunt non nisi semel, loco extremo genetivum δυοῖν cessisse formae διδύμων. Atqui cum semel quoque δυοῖν apud Pindarum exstet, nullo modo licet contendere, quod Bieberum supra vidimus.

Poëtae comici Siculi habent δύο nom. masc. Epich. Inc. 27 (δύ'), fem. Epich. Siren. 1, 5, Phil. 1, neutr. Heb. B. 7, Phil. 1; acc. fem. Soph. 77.

Bucolicorum usus hic est: Theocritus in carminibus epicis δύο usurpat nom. masc. XXIV, 8 et XXI, 6; acc. masc. XXII, 5; δύω nom. masc. XXII, 137 et XXIV, 54, neutr. XXIV, 13. Id. XXII, 135 legitur δοιώ, ibidem δοιάς, quod idem habet Moschus, Id. I, 4. In idylliis plane Dorici sermonis nihil nisi forma δύο inest: nom. masc. I, 48, VII, 71, XIV, 45, fem. Inc. VI, 29, neutr. VII, 4; acc. masc. I, 26, XIV, 14, fem. I, 26. Reliquorum casuum facultas nulla est. Mirus est locus Mosch. I, 48 δοιοῦ ἐπ' ὀφρύος.

Callimachi hymni Dorici unam praebent formam δύ' –, VI, 95, et eam quidem nom. fem.

Apud Empedoclem δύο exstat bis: nom. masc. v. 393 et neutr. v. 212; v. 335 legitur δοιῶν ἐξ ἄρθρων.

In scriptis quae feruntur Pythagoreorum, δύο legitur nom. masc. Tim. pag. 40 B δύο δ' ἰσόδρομοι, fem. Tim. pag. 38 A δύο αἵδε ἀρχαί, et pag. 41 B ταὶ δύο πλευραί, Phil. pag. 1 B δύο διέσιες, Archyt. pag. 557 δύο δὲ ὁδοί, pag. 556 B αἱ μὲν ὁδοὶ δύο ἐντί, pag. 567 B ἀρχαὶ δύο, neutr. Tim. pag. 41 B ἐς ἴσα μέρει δύο, pag. 42 A bis δύο ἄκρα, Phil. pag. 1 A δύο ἴδια εἴδεα, pag. 1 B δύ' ἐπόγδοα, Archyt. pag. 557 A δύο γάρ ἔντι, pag. 560 A ταῦτα γὰρ δύο ἔντι, pag. 572 B τὰ δύο;

acc. masc. δύο λόγως Archyt. pag. 567 B, et id. pag. sq., fem. Tim. 38 A δύο αἰτίας, pag. 39 B δύο δυνάμιας. Archyt. pag. 567 B δύο ἀρχάς, neutr. Tim. pag. 42 A δύο χρήσει. Eadem forma δύο fungitur vice genetivi fem. ἐκ δὲ τουτέων τῶν κινασίων δύο ἐασῶν, Tim. pag. 40 B, neutr. ἐκ δύο τουτέων, pag. 39 B, δύο γὰρ τρίτων pag. 41 A, δύο τουτέων Archyt. 567 B. Dativi forma δυσί legitur Tim. pag. 42 A.

De vocabuli δύο usu Archimedeo dixit Heiberg. Quaest. Archimed., pag. 83: ‚Δύο saepe indeclinabile est: legitur tamen δυῶν semel, δυσί quater, δυοῖς bis'. — Ceterum δύο dativi loco positum est Insid. II, 10 ἐν δύο διατυπώσεσι.

Quoniam fere cuncta quae supersunt dialecti Doricae vestigia perscrutati sumus, de vocabulo δύο in hunc modum licet statuere.

Exemplis satis comprobavimus genetivi et dativi formam δυοῖν periisse dialecto Doricae, cujus unum tantum restat exemplum Pindaricum. Non igitur facio cum Ahrensio, de dial. Dor., pag. 278, qui flexionem δυῶν, δυσί dicit fuisse Doridis antiquam et genuinam. Sed hae pluralis terminationes in usum venerunt, ubi dualis numerus Doribus vigere desiit. Hoc tamen recte Ahrensium judicare vidimus: ‚Vulgo δύο indeclinabile est'. Quod addit ‚Vix ullo jure Doricum dicitur δοιώ vel δύω', re comprobatum est.

3. Ex dialecto Boeotica vocabuli δύο exempla haec enumero: δύο acc. fem. legitur in tit. ed. in ‚Ἀθήναιον' a. 1874, pag. 483, et δραχμὰς δύο apud Keil, ‚Sylloge cet.' pag. 75; neutr. δύο ἔργα, apud Keil, ‚Jahrbücher für Philologie', l. l. pag. 637. Addo Boeckhium legere C. J. 1567 III δρα[χμάς δούω]. Hoc tamen statuere licet non defuisse dialecto Boeoticae formam δυοῖν, quae quidem legitur apud Keil, l. modo l. in tit. 19, 7.

Dialecto Arcadicae attribuenda est forma δύο, sc. ἔργα, quae invenitur in tit., ed. Michaëlis, l. pag. 42 l.

De vocabulo ΑΜΦΩ.

Altera quae dualitatem prae se fert, forma est ἄμφω. Jam dilucidum est inde ab initio nonnihil interfuisse inter notiones vocis ἄμφω et vocis ἀμφότερος. Illa enim complectitur duas res uno quasi vinculo, i. e. usurpatur dualiter, ut Latine idem ‚ambo‘, haec duo ita vult intelligi, ut et unum et alterum spectemus, sicut Latine est ‚uterque‘ i. e. ‚Der Eine wie der Andre‘. Attamen ubi dualis e dialectis evanescere coepit, etiam ἄμφω rarius inveniri non mirum est et paullatim vocabulum ἀμφότερος ejus locum prorsus obtinuisse. Itaque operae pretium erit inquirere, quae vestigia vocis ἄμφω in iis dialectis, de quibus tota haec est quaestio, inveniantur.

1. In titulo Aeolico antiquissimo, ed. Blass, l. pag. 11 l., legitur lin. 5 ἀμφοτέραισι ταῖς πολίεσσι, nec minus recte supplet Blass ἀ]μφ[ό]τ[εραι...]. In tit. Eresiano inest παρ' ἀμφοτέρων. Titulus multo recentior, ed. Kenner l. l., praebet ἀμφοτέρων τᾶμ πολίων; idem legitur in tit. C. J. 3640.

2. Si certum est testimonium Thucydidis (lib. V, cp. 79) foedus Lacedaemoniorum et Argivorum, floruisse apud Dores formam ἀμφοῖν cognoscimus. Legitur enim ἀμφοῖν ταῖς πολίεσσι. At prorsus certum esse jure nunc negatur.

In titulis semel inveni ἄμφω: ἄμφω ἀποφθιμένως, C. J. 6241. Ceteri loci ostendunt ἀμφότερος. Ut est in tit. modo commemorato ἀμφοτέρων; in titulo Messeniaco, ed. L. Bas, Vog. II, 328 a, ἀνφοτέραις; ἀνφοτέροις in tit. Locrensi, ed. Vischer in ‚Rhein. Museum‘, XXVI, pag. 94 sq. In titulis Creticis, C. J. 2555, 52 et ed. in ‚Mnemosyne, I‘, legitur ἀμφοτέραις ταῖς πόλεσι, C. J. 2557 αἱ πόλεις ἀμφότεραι; C. J. 1193 bis invenitur ἑκάτερος: ἑκατέρων [τῶν] πολίων et ἑκατέραις ταῖς πόλεσι. Dialecto Doricae adnumerandus est titulus, quem ed. Keil in ‚Sylloge‘, IV, b, qui habet ἑκατερᾶν τῶν πολίων.

E lyricis Doricis Ibycus, frgm. 16, 4 habet ἀμφοτέρους. Porro apud Pindarum exstat ἄμφω Pyth. IV, 182, ἀμφοῖν III, 57 et Isthm. V, 18. Saepissime invenitur ἀμφότερος. Quos locos enumerare necesse erit, ut de vocabuli ἄμφω usu Pindarico certi aliquid statuamus.

a. Ol. VII, 13 ὑπ᾽ ἀμφοτέρων est ,inter cantum tibiarum et phormingis'; IX, 84 ἀμφότεροι κράτησαν. Poëta vult hoc: ,Lamprocli nectam coronas: uterque enim — et victor quem celebramus, Epharmostus, atque adeo etiam Lamprocles — vicerunt uno die'; VIII, 57 ἐπ᾽ ἀμφότερα intelligendum est de pugna Corinthiorum duabus in regionibus commissa; Pyth. I, 88 ἀμφοτέροις est ,de rebus bene factis et peccatis'; II, 47 ἀμφοτέροις ὁμοῖοι τοκεῦσι est ,similes utrique parentium, atque supra quidem patri Centauro, infra matri equae'; ib. v. 76 ἄμαχον κακὸν ἀμφοτέροις διαβολιᾶν ὑποφάντιες, α. est ,utrique, et ei qui petitur calumniis, et ei qui audit'; III, 93 παρ᾽ ἀμφοτέροις: agitur de Pelei epulis et Cadmi, ergo ,et apud hunc et apud illum i. e. apud utrumque'; IV, 124 κασίγνητοι ἀμφότεροι ἦλθον, unus inde a fonte Hyperboreorum, alter ex Messenia; ib. v. 167 ἄμμιν ἀμφοτέροις sc. μάρτυς ἔστω, i. e. ,Jupiter audiat et me et te'; X, 2 Ὀλβία Λακεδαίμων, μάκαιρα Θεσσαλία· πατρὸς δ᾽ ἀμφοτέραις ἐξ ἑνὸς γόνος, apparet ἀμφοτέραις esse ,utrique'; Nem. VI, 1 πνέομεν ἀμφότεροι, sunt et homines et dii; VII, 94 ἀμφοτέρας ἰὼν χειρός pag. 23 expedivimus; Isthm. I, 6 ἀμφοτέρων χαρίτων — ζεύξω τέλος, i. e. ,et Apollini perficiens carmen et Herodotum celebrans': i. e. utramque suo quidem tempore gratiam solvet.

b. Obiciamus his usum vocis ἄμφω: Pyth. III, 57 legitur δι᾽ ἀμφοῖν, — optimo jure positus est h. l. dualis et is quidem plastice usurpatus. Ambo enim, et Aesculapius et resuscitatus, uno fulmine prosternuntur: praeclarissime illustrat Pindarus ultionem divinam; IV, 183 ἄνδρας πτεροῖσι νῶτα πεφρίκοντας ἄμφω sc. Zeten et Calain: etiam in hoc loco dualis mihi quidem non inanis videtur esse et consilium Pindari pingendi ambos fratres alis inter se simillimos. Denique Isthm. V, 18 ἀμφοῖν referendum est ad τὶν Πυθέα τε, qui ambo fratres vicerunt; amplectitur hoc victorum par una voce Pindarus.

Videmus satis distinctum esse usum verborum ἄμφω et ἀμφότερος: utrumque enim Pindarus adhibet in eum modum, ut pristinam vim cognoscamus.

Theocritus a. in idylliis epicis ἄμφω habet nom. XII, 23 et 35, acc. ib. 70 et 170, XXV, 260, XXIV, 77 et 107. Vocis ἀμφότερος acc. usurpat XXII, 13 et 120, genet. ib. v. 30, dat. ἀμφοτέροισι sc. ὕμμιν, v. 152, et ἀμφοτέρῃσι v. 96. Theocritus format etiam dualem ἀμφοτέρω: XXII, 26. Jam concludimus Theocritum genetivi dativique formam δυοῖν noluisse adhibere eique supposuisse ἀμφοτέρων, —οις. Quod judicium comprobatur, cum legamus in

b. carminibus Dorice scriptis, XVII, 26

ἄμφω γὰρ πρόγονός σφιν ὁ καρτερὸς Ἡρακλείδης,

i. e. ‚nam utrique (hoc vult ἄμφω σφιν) proavus est fortissimus Heraclides'. Cf. ad hanc jam plane obsoletam formam Il. H, 255 χερσὶν ἅμ' ἄμφω. Itaque ἄμφω σφιν fungitur vice dativi σφωΐν. Nom. ἄμφω reperimus II, 143, VII, 3, 4, XIII, 38. Ἀμφότερος hisce formis legitur: nom. ἀμφότεροι XVII, 27, dat. ἀμφοτέροις X, 35, XIV, 64, ἀμφοτέραισιν VII, 157, acc. ἀμφοτέρως XI, 170.

Pauca de reliquis bucolicis. Acc. ἄμφω legitur Inc. VIII, 63, ἀμφότεροι Inc. I, 176, ἀμφοτέρας Mosch. Id. I, 18.

In Callimachi poëmatis Doricis ἄμφω omnino non exstat, sed ejus vice ἀμφότερος fungitur: nom. ἀμφότεραι V, 73, dat. ἀμφοτέραισι, ib. v. 93.

Non aliter in fragmentis Empedoclis ἄμφω deest, gen. ἀμφοτέρων v. 146 et v. 371 ejus locum obtinet.

In Pythagoreorum libris ἄμφω frustra quaeras, nisi quod Aristoteles Archytae hocce attribuit (v. I, pag. 563 A): Ἀρχύτας ἔφη ταὐτὸν εἶναι διαιτητὴν καὶ βωμόν, ἐπ' ἄμφω γὰρ τὸν ἀδικούμενον καταφεύγειν. Nescimus, quatenus in his lateant genuina Archytae verba. Memorabile est hunc vocis ἄμφω usum jam esse deperditum; expectamus ejus loco ἀμφότερον. Praeterea omnia exempla exhibent ἀμφότερος: nom. ἀμφότεροι Archyt. pag. 562 A, gen. ἀμφοτέρων Phil. pag. 1 A, pag. 6 B, Archyt. pag. 554 B, p. 559 B, accus. Archyt. pag. 568 A. — In epistula quae fertur Lysidis, § 4 legitur ἄμφω, nom. fem.

Archimedes cum in libello Ionice composito ‚De Sphaera et Cylindro', I, Def. 6 usurpet genet. ἀμφοῖν, tamen in scriptis Doricis ἄμφω prorsus evitat. Legimus passim ἀμφότερος, pro

quo vocabulo Arch. adamat verbum compositum συναμφότεροι, quod occurrit e. g. Aequip. B. Theor. IX, de Spiral. Prop. XV, Consid. pag. 416, 5, 428, 19 et saepius.

3. Ex titulis Boeoticis duo recentiores praebent ἑκάτερος: C. J. 1609 ἑκατέροις, et Keil l. pag. 43 l. p. 618.

E quibus certi quicquam concludi non posse elucet.

In fine dissertationis liceat mihi gratias agere ex animo R. Foerstero, praeceptori optimo, qui non solum me impulerit, ut hancce quaestionem instituerem, verum etiam consilium suum operamque opusculo deesse mira benevolentia noluerit.